Jonge

DE G. MARIO ET DE SCRIPTORIBUS, QUI DE EIUS TEMPORIBUS EGERUNT, QUAESTIONES.

49

DORDRACI, APUD J. GILTAY ET FILIUM.

SPECIMEN LITTERARIUM.

SPECIMEN LITTERARIUM

CONTINENS

De Gaio Mario et de scriptoribus, qui de eius temporibus egerunt,

QUAESTIONES,

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

DR. R. S. TJADEN MODDERMAN,

in fac. phil. nat. professoris,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLEMNI FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HERMANNUS JACOB KIEWIET DE JONGE,

Groninganus.

DIE XII M. DECEMBRIS MDCCCLXXXI, HORA II.

DORDRACI, APUD J. GILTAY ET FILIUM.

CONTINENTUR:

DE AUTOBIOGRAPHIS ROMANIS, G. MARII AEQUALIBUS.

Diligenter in omnia inquirenti, quae de M. Aemilio Scauro (cs. ann. 639 = 115 a. C.) memoriae prodita sunt, haud mihi contigit, ut propositum fuerat, certam factiosissimi illius viri effingere imaginem. Non est quod dicam summarium eius vitae non posse componi; attamen illis praecipue temporibus quibus magnas partes egisse videtur, a rerum scriptoribus plane deserimur. Nam quae de eo extant, satis quidem ostendunt una cum Metello Numidico eum robur fuisse optimatium partium et pro virili egisse ut praesentem earum potentiam stabiliret, imo etiam in posterum augeret atque adeo parum curasse, ut in proposito persequendo honestis artibus uteretur; verum omni fere luce caremus investigantes quae eius fuerint studia et facta in Appuleiana seditione, quo fuerit animo erga Marium. Obscura enim et minoris momenti sunt, quae de eo in illa rerum Romanorum parte enarrantur.

Nec vero Scauri tantum vitae certi testes desunt; verum si prisca tempora exceperis, nulla fere historiae Romanae pars tam ignota est quam quae inter Gracchanos tumultus et bellum civile interiacet. Nullus enim ex toto hoc temporis decursu rerum Romanarum scriptor, temporibus illis aequalis, servatus est. Et tamen historiae scribendae studium egregie tum apud Romanos effloruit. Nam toto fere orbe terrarum subacto, quum pax continua summis in re publica gerenda viris gloriam bellicam omnino recusaret aut facile paratam concederet, multi erant Romae, qui suis rebus scribendis laudem quaererent [1]). Accedit quod illud temporis spatium, ut nullum fere aliud, odiis civilibus divellebatur, ita ut quasi continua iudiciorum serie anni cohaererent. Nulli tam clari erant civitatis principes aut duces belli, quin odium capitale alius alii incuterent, ex mutua invidia ortum; itaque factum est ut qui semetipsos de accusatione vera aut falsa purgare vellent, suarum rerum aut sui temporis historiam conscriberent. Fuerunt qui de vita sua scripserunt M. Aemilius Scaurus, P. Rutilius Rufus, Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sulla, e nobilitate viri, in re publica plurimum versati, quorum tamen scripta paene funditus deperdita sunt. Quae si adhuc existerent, multa sane illustrarent quae nunc in obscuro latent; qui vero ex iis tanquam ex fontibus hauserunt, non satis prudenter iis usi esse videntur. Propugnabant enim quattuor illi Romani nobiles pro una eademque re, pro

---

[1]) Cic. Brut. 29. 112 libros a Scauro de ipsius vita scriptos *laudes* nominat. Cf. Teuffel, Gesch. der Röm. Litt. 3e aufl. 37. 9.

partium suarum salute, neque in ullam rem magis conspirabant quam in odium erga profanum vulgus. Unde satis apparet nobilitatis studio imbutos, iniuste saepe eos de aequalibus suis iudicavisse. Amicos enim, suarum partium participes, omnibus ungulis defendebant; hominibus plebeiis contra, plebi oppressae subvenientibus, nullo modo non maledicere aut calumniari solebant. Quorum commentariorum, quamvis aut prorsus aut fere prorsus interierint, tamen satis apparet ingenium ex iis, quae apud posterioris temporis historicos leguntur. Non enim casu quodam factum est ut omnes fere optimatium principes, qui inde a G. Gracchi morte usque ad bellum civile extiterint, laudibus efferri soleant plebisque fautores, modo nobilibus fortiter restiterint, ignominia invidiaque exonerari. Et tamen intolerando modo nobiles Romani auctoritate sua abutebantur, nec quidquam magis laudandum fuisse videtur quam plebi vexatae succurrere.

His aequalibus testibus usi qui postea vixerunt historici, iniquius saepe iudicium nostrae aetatis rerum scriptoribus de Appuleio, Livio Druso, Sulpicio Rufo, Cinna, viris popularibus, verum maxime de G. Mario tradiderunt. Qui in huius vita defendenda operam navaverint non multi sunt numero. Nominandi sunt inprimis Kiene in libro, cui titulus „Der römische Bundesgenossenkrieg" (1845), qui vero, ut res postulabat, postremam tantum vitae partem tractavit, et Smit „Observationes in Plutarchi vitam G. Marii (1878). Quae apud Niebuhr, Drumann, Mommsen, Lange alios, nostra aetate rerum Romanarum viros peritissimos, de G. Mario eiusque temporibus leguntur, quamvis multa ei laudi tribuant quae vituperari haud-

quaquam possunt, tamen non ab omni parte vere de eo dicta esse videntur. Quae iniuria, ut iam dictum est, semper redit ad fontes viris popularibus iniquissimos, quos igitur ut accuratius perscrutemur, inprimis ratio admonet. Qua in re, quoad potero, notissimas res silentio transibo.

Testibus Cicerone [1]), Valerio Maximo [2]), Plinio [3]), M. Aemilius Scaurus, praeter orationes, de vita sua scripsit tres ad Fufidium libros [4]); quos neminem legere addit Cicero. Quod etsi ad verbum non est accipiendum, tamen ex iis quae nobis tradita sunt non apparet Romanarum rerum auctores ex illis libris multa hausisse. Est profecto de eius vita et factis sermo apud complures posterioris aetatis scriptores, e quorum numero Valerius Maximus [5]) tantum, Frontinus [6]) et auctor libri de Viris Illustribus [7]) ex ipsis Scauri scriptis hausta memorare videntur. Ciceronem libros legisse, ex loco allato patet. Memoria vero retinuerat Scauri imaginem, quocum adolescens consuetudinem habuerat quemque valde admiratus est praecipueque dilexit. Multi enim sunt loci,

---

[1]) Brut. 29. 3.

[2]) IV. 4. 11 (ed. Halm).

[3]) H. N. XXXIII. 6.

[4]) Qui fuerit Fufidius ille non constat; fortasse idem fuit, quem L. Piso proconsul Macedoniae creditorem debitoribus suis addixit; Cic. in Pis. 35. 86. Cf. Orell. Onom. Tull. II. 258.

[5]) IV. 4. 11. Perperam Valerius III. 7. 8 rem refert ad regem Mithridatem, nec igitur eo loco ipsum Scaurum auctorem habuit. Cf. Quintil. V. 12. 10; Ascon. pro Scauro. Plutarchus nec in Gracchorum nec in Marii aut Sullae vitis nomen eius laudat. Legitur tantum Quaest. Rom. p. 276. Cf. Mommsen, Röm. Staatsr. I. 150. annot. 2.

[6]) Front. Strateg. IV. 3. 13.

[7]) c. 72.

unde apparet eum de viro loqui tamquam ob oculos posito [1]). Plutarchus ceterique Graeci Romanarum rerum scriptores Scauri libros neglexisse videntur. Qui libri quamquam igitur multos lectores non habuerunt, tamen usque ad grammaticorum Charisii et Diomedis aetatem aut partim aut toti servati sunt; nonnulla enim fragmenta apud eos inveniuntur [2]). Licet quidem Scauri scripta apud historicos parum habuerint auctoritatis, tamen quin ipse gravitate, constantia, consilio multum inter aequales valuerit, dubitari non potest. Nec qui odio popularium partium eum vicerit facile invenies; a Gracchis enim usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, nulla unquam vi, nullis minis, nulla invidia labefactus [3]).

Sequitur P. Rutilius Rufus, Scauro octo fere annis minor, quocum, etsi alter alterum in iudicium vocavit, communi vinculo, studio nobilitatis, artissime erat coniunctus. In consulatu tamen petendo repulsam passus, praelatum Scaurum ambitus accusavit [4]). — De vita sua commentarios quinque minime libris Rutilium latine conscripsisse apparet ex Charisio [5]), quod tamen opus non confundendum est cum Historia Romana ab eodem scriptore

---

[1]) Cic. pro Scauro; pro Font. 7; de off. I. 22; de or. I. 49. 214; Brut. 29 et 35.

[2]) Instit. Gramm. (ed Keil) I. 129. 147. 209. 210. 374. 377. 385. Cf. Servius ad Aen. XII. 121. Peter, Hist. rom. rell. I. p. CCLIII sqq. et p. 185, 86 Roth, Hist. rell. (1852) p. 327, 28.

[3]) Cic. pro Sext. 47.

[4]) Cic. Brut. 30; de or. II. 69. Iniuria Drumann, Gesch. Roms I. 27 et Suringar, de roman. autobiogr. (1846) hanc repulsam in anno 107 ponunt, pro 106. Nullibi enim Scaurum bis consulem fuisse memoratur; quod si accidisset, aeque ac Scipionis Aemiliani et Marii, Scauri nomen hoc additamentum accepisset. Cf. Lange, Röm. Alterth. III. 67. Des Brosses, Vie de Scaurus, in Mém. de l'Acad. des inscr. et belles lettres. Tom. XXIV p. 219.

[5]) Charis. ed. Keil. p. 120. 125. Cf. Peter, H. R. I. p. CCLXV sqq. et p. 187 sqq. Roth, l.l. p. 328 sqq.

Graeca lingua scripta [1]). Non satis constat ex illa Historia Romana utrum hauserint scriptores an ex libro de vita scripto. Laudat eum Plutarchus [2]) plurimumque ei tribuit, nec solum in vitis Marii et Pompeii, verum etiam in Gracchorum eum ad manum habuisse videtur [3]). Ut vero perspiciamus quantum Rutilii in describendis Marianis rebus valeat iudicium, satis est memorare Plutarchum infestissimum eum Mario fuisse profiteri. Quod odium profecto acerrimum fuisse videtur, quoniam Plutarchum in vita Marii, quasi ex fonte turbulento repetita, huius viri gloriam quam maxime detrectasse postea videbimus.

De consulatu suo et rebus gestis librum scripsit Q. Lutatius Catulus, quem tamen librum nihilo notiorem fuisse quam tres illos Scauri Cicero nobis testis est [4]). Re vera nullum omnino a Latinis scriptoribus servatum est fragmentum. Ex Catulo fluxerunt quae leguntur apud Plutarchum (Mar. 25), unde satis apparet eum Marii in rebus publicis gerendis adversarium fuisse, quocum in bello Cimbrico exercitui praefuit, sed minus secunda quam ille usus fortuna. Quo facto capitali odio a Mario dissidebat, nec dubitari potest quin eo consilio ad scribendum se contulerit, ut ostenderet aeque ac Mario sibi gloriam victoriae deberi. De ceteris Catuli operibus, inprimis de Communi Historia, nonnisi perpauca statui possunt [5]).

---

[1]) Athen. IV. 66. p. 168 E; VI. 108. p. 274 C. App. de reb. Hisp. c. 88. Cic. de rep. I. 11.

[2]) Mar. 28. Pomp. 37.

[3]) Cf. Heeren, de fontibus Plut. p. 135.

[4]) Brut. 35. 132.

[5]) Cf Peter, H. R. I. p. CCLXX sqq. et p. 191 sqq. Roth, l.l. p. 332, 33. Quae Weichert: Poem. Lat. Rell. p. 353 de Furio Antiate, Lutatii res et consulatum tradente, suspicatur mera coniectura niti videntur.

Tribus illis biographis, magnae auctoritatis viris, princeps accedit L Cornelius Sulla, vir quem „ neque laudare neque vituperare satis digne quisquam possit" [1]. Quo studio rerum suarum commentarios scripserit minime latet nec verbis opus est quibus vehementissimi in Marium odii arguatur. Satis est memorare fere omnia quae inde a Gracchorum usque ad Sullae mortem ab historicis memoriae prodita sint, ingenium redolere Sullae. Bellum Iugurthinum profecto excipiendum est, de quo tamen, nisi Sallustii opus extaret, Plutarcho auctore iniquius iudicium ad nos pervenisset. Non enim initium scribendi fecit Sulla ab illo bello, quo primum ad rem militarem accesserat, sed priora etiam tempora attigisse videtur, partesque nobilium defendisse. Latine eum scripsisse satis constat ex iis, quae Gellius [2] et Priscianus [3] afferunt, nec igitur fides habenda est Heerenio, commentarios Graece compositos esse statuenti [4]. Qua sententia reiecta partim etiam fidem amittunt quae de Plutarchi ignorantia Latini sermonis arguere conatur [5]. — Dictatura deposita Sulla rerum a se gestarum rationes reddere voluit, quoniam multorum animos in se incensos esse videbat; quod, quum magistratum deponeret, palam edixisse videtur [6]. Librum de vita sua L. Licinio Lucullo dedicavit [7], qui ipse his-

[1]) Val. Max. IX. 2. 4.

[2]) Gell. I. 12. 16; XX. 6. 3.

[3]) Prisc. ed. Putsch IX. p. 864. Cf. Peter, H. R. I. p. CCLXXVI sqq. et p. 195 sqq. Roth, l.l. p. 334 sqq.

[4]) Heeren, l. l. p. 149 sqq.

[5]) Cf. Peter: die Quellen Plutarchs. p. 61.

[6]) App. B. C. I. 104: ὅν γέ φασιν ἐπειπεῖν ἐν ἀγορᾷ, τὴν ἀρχὴν ἀποτιθέμενον, ὅτι καὶ λόγον, εἴ τις αἰτοίη, τῶν γεγονότων ὑφέξει κ. τ. λ.

[7]) Lucull. 1.

toriam Marsici belli Graece conscripsisse putatur. Luculli liber quamvis funditus deperditus sit, tamen etiam aeque ac Gn. Pisonis popularibus partibus infestiorem fuisse conicere licet. Pisonem de Mario etiam scripsisse Plutarchus testatur (Mar. 45) [1].

Praeter illos quattuor e nobilitate viros, singulos pro viribus adversariis politicis resistentes, nonnulli erant rerum Romanarum scriptores, quorum iuventus in Marii senectutem incidit. Quorum etiam opera perierunt, Q. Hortensii Hortali, L. Cornelii Sisennae, Claudii Quadrigarii, Valerii Antiatis. Hi omnes annalium scriptores erant, siquidem Sisenna in eorum numero est habendus. Abhorrebant, ut satis notum est, ab accurata rerum indagatione, sed potius e fama populari et privatis commentariis materiem historiae hauserunt, fabulis subinde et narratiunculis auctam. Ab antiquo plane diversum erat novum hoc scribendi genus. Itaque factum est — quod tamen magis ex natura rerum quam ex firmis argumentis statuere possumus — ut biographorum, Marii aequalium, indoles in eorum annalibus remaneret, nec igitur ex iis tanquam ex sinceris fontibus posteri hauserint. Nam etiam Sisenna, quem Sallustius (Iug. 95) optime ac diligentissime omnium Sullae res persecutum esse refert, adeo imbutus erat studio ingenioque nobilitatis, ut Sal-

---

[1]) Cf. Cic. ad Att. I. 19. 10. Druman l.l. IV. p. 173. Peter, H. R. I. p. CLXXXVIII sqq. et p. 118 sqq. — Quis ille Piso fuerit plane ignoramus. Idem ac L. Calpurnius Piso Frugi, Gracchorum adversarius notissimus, non fuit, quod tamen contendit Roth, l.l. p. 295 sqq. Hunc enim Pisonem noverat Plutarchus (Numa 21) nec igitur de eo his verbis: Γάϊος τις Πείσων ἀνὴρ ἱστορικός locutus est. Accedit quod ille anno 133 consul fuit, unde eum Marii mortem attigisse vix credibile est. Cf. Lachmann, de fontibus Livii I. 32 sqq. Nec praenomine Gaii pro Lucii Plutarchum usum esse neglegendum est.

lustio parum libero ore locutus esse videretur. Maxime dolendum est quod omnia interierunt, quae ex ipsius libro de bello Marsico et civili argumenta adhiberi possent. Licet fortasse ad Sisennam referre, quae memorat Sallustius in Historiis, [1]) de meritis Sertorii invidia scriptorum incelebratis. Quae si vere Sisennam spectant, ex ungue leo satis cognoscitur. Minorem quam Sallustius laudem ei tribuit Cicero [2]), quum facile eum superiores omnes vicisse contendens, tum indicare quantum absit a summo.

De Hortensii Annalibus nihil novimus praeterquam quod extiterunt [3]). Qui vero optimatium imbutus studio viris popularibus favisse non putandus est. Decennio post Marium defunctum ad rem publicam accessit. Adolescens igitur erat bello civili inter Sullam Mariumque flagrante.

Aequales Sisennae et Rutilii Claudius Quadrigarius et Valerius Antias fuerunt [4]). Ad septimum usque Marii consulatum Claudius Annales perduxit [5]), cuius tamen nec de vita nec de consiliis in rebus publicis administrandis quidquam certi notum. Saepius eo Livius usus est, sed caute [6]) et quidem ita ut semel eum refellat [7]). In iis vero, quae de Claudio memoriae prodita sunt, non extant, quae nostro proposito prodesse possint [8]).

---

[1]) Ed. Kritz. I p. 57.
[2]) Brut. 64 228. Cf. Seneca, Controv. I prooem. 19. Plut. Luc. 1.
[3]) Vell. II. 16. 3; Cic. ad Att. XII. 5. 3.
[4]) Vell. II. 9. 6.
[5]) Gell. X. 1.
[6]) VI. 42. Cf. Niebuhr, R. G. II. 637 annot.
[7]) IX. 5.
[8]) Cf. Teuffel l.l. p. 251. Lachmann l.l. I. 35.

Valerii etiam studio veri et diligentia diffidebat Livius [1]), praesertim numeros adhibentis saepius ab eo auctos. Item Orosius [2]) gravissimis eum hanc ob rem reprehensionibus exagitat fidemque ei abnegat. Quae vero Claudii et Valerii ratio fuerit Marianas res describentium omnino non patet [3]).

Haec fere sunt, quae ex ipsis illis temporibus ad nos pervenerunt. Quibus accedunt orationes, quae quamvis minus iuste inter rerum gestarum monumenta habeantur, tamen multa adferunt ad Marii aetatem illustrandam. Nec vero hanc Romanarum rerum partem pertractantem, quidquam tantopere me movit, quam singulare litigandi studium et iudiciorum quum publicorum tum privatorum frequentia. Multum enim aberat, ut nobilitas victoria sua moderate et modeste uteretur; ex libidine fuga et ferro omnes extinxit, qui popularium partium studiosi periculum sibi adferre videbantur. Quorum mores et studia neminem Sallustium qui legerit latere possunt [4]). Hoc tamen, nempe summum odium in adversarios, non tam mirandum, quam inter ipsos nobiles dissensionem. Unusquisque suo ipsius tantum commodo deditus erat nec reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent. Alius igitur alium obtrectare conabatur, omnesque invidia et avaritia impulsi uti quisque potentiori confinis erat, hunc vincere studebant [5]). Ab hoc loco

---

[1]) XXXVII. 48. XLIV. 13. Cf. Lachmann l.l. II. 24.

[2]) IV. 20; V. 3. 16.

[3]) Plutarchus Valerium Antiatem fontem adhibuit in vita Valerii Publicolae. Cf. Peter, die Quellen sqq. p. 41 sqq. Vollgraff, Greek writers of Roman History, p. 2.

[4]) Cf. Iug. 42. 63. 85.

[5]) Sall. Iug. 42.

non abhorrere videtur celeberrima iudicia enumerare, in quibus nobiles illi sub finem saeculi II a. C. versati sunt, siquidem ex iis quod fuerit ingenium temporis monstrari possit. Gaio Gracchо mortuo Albucius Q. Mucium Scaevolam repetundarum frustra accusat [1]). Anno post (119) Licinio Crasso accusante G. Carbo cantharidas sumpsisse dicitur [2]). Anno 114 Sextus Peducaeus criminatus est L. Metellum pontif. max. totumque collegium pontificum, quod male iudicassent de incestu virginum Vestalium [3]). M. Antonius, ipse incestus L. Cassio praetore absolutus [4]), Gn. Carbonem accusavit, quod a Cimbris ad Noreiam fugatus esset. (111) [5]). Eodem fere tempore Crassus G. Sergii Oratae causam contra M. Antonium iudicio privato defendit [6]). Quum in provincia sua (Sicilia? cf. Cic. Verr. III 90) praetura functus esset, Q. Metellus Numidicus Romam reversus, repetundarum est accusatus (110) [7]). Quam accusationem subsecuta est quaestio extraordinaria Mamilia de coniuratione Iugurthina (101) [8]). Post cladem a Tigurinis acceptam (107) G. Popillius, L. Cassii consulis legatus, a G. Coelio Caldo in iudicium vocatus est [9]). Nec Q. Servilius Caepio triennio post meliore fortuna usus

---

[1]) Cic. de or. I 17. 75.

[2]) Cic. Brut. 27. 103; ad Fam. IX. 21. 3. Cuius exitus saepe maxime se poenitere professus est Crassus teste Cic. Verr. I. 3.

[3]) Ascon. in Mil. rec. Kiessl. et Schöll, 40. 15. Cf. de tota illa causa famosissima Drumann l.l. IV. 59. 62.

[4]) Drumann l.l. I. p. 61.

[5]) Tac. Germ. 37.

[6]) Cic. de or. I. 39. 178 de off. III. 16.

[7]) Drumann l.l. II. 37.

[8]) Cic. Brut. 33. 127; de nat. deor. III. 30. 74; Sall. Iug. 40.

[9]) Drumann. l.l. II. 409.

est, imperio abrogato, quia male adversus Cimbros rem gesserat. Habito iudicio in carcerem coniectus, vix ab amico L. Regino vinculis ereptus est [1]. Eodem anno G. Domitius diem dixit Scauro criminique dabat sacra publica populi Romani deum penatium quae Lavinii fiebant, opera eius minus recte casteque fieri [2]. Qua causa ad finem perducta M. Junius Silanus a Gn. Domitio Ahenobarbo est accusatus, quod iniussu populi in Gallia fortunam belli expertus, a Cimbris fugatus esset (Cic. Verr. II. 47. Ascon. in Corn. 60. 12; 71. 22 sqq.). Cui iudicio successit (103) illud, in quo contra T. Albucium pro Sardis verba fecit G. Iulius Caesar Strabo (de off. II. 14. 50. Cf. Drumann l. l. III. 126. IV. 319). L. Licinius Lucullus accusatus est ab augure Servilio, ipso postea (102) a Licinii filiis in iudicium vocato (Plut. Luc. 1; Cic. Verr. IV. 66; cf. Drumann l. l. IV. 120).

Annis duobus subsequentibus, nempe in summis rei publicae seditionibus tempus defecit ad litigandum; vacabant iudices. Saturnino vero et Glaucia e medio sublatis quum Marius a rebus publicis se removisset, iudicia rursus institui coepta sunt. Valerio Flacco, aedili curuli, G. Appuleius Decianus diem dixit (99) (Cic. pro Flacc. 32. 77) et tribuno P. Furio (Val. Max. VIII. 1. 2). Anno post M'. Aquilius, Marii V consulis collega, repetundarum reus (Liv. Epit. 70. Cic. de or. II. 28. 124; 47.

---

[1] Val. Max. IV. 7. 4.

[2] Iratus re vera Scauro fuit Domitius, quod eum in augurum collegium non cooptaverat. Absolutus quidem est Scaurus sed ita ut a III tribubus damnaretur, a XXXII absolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interressent. Cf. Pro Scauro. Ascon; pro Deiot. XI; Val. Max. VI. 5. 5. De ipso pontificatu Laurentinorum Mommsen R. S. II p. 25 non nisi summatim agit.

194 sqq. Verr. V. 1), absolutus est defendente M. Antonio oratore, qui tamen ipse haud multo post (97) a M. Duronio in iudicium est vocatus (Cic. de or. II. 68, 274) eodem fere tempore, quo Crassus causam dixit pro amico suo C. Aculeone contra accusatorem Marium Gratidianum (de or. II. 65. 262). Idem L. Licinius Crassus in celeberrimo illo iudicio Q. Servilium Caepionem defendit, quem (95) maiestatis reum G. Norbanus fecerat (Cic. Brut. 44. 162). Huic tamen G. Norbano, lege Appuleia de maiestate P. Sulpicius Rufus diem dixit, quod seditiosus et inutilis civis esset (94) (Cic. de or. II. 25. 107; 28. 124; 39. 164; 40. 167; 47. 197 sqq.). Nec quidquam illis temporibus memorabilius quodque magis depravatum aetatis ingenium denotet, adhiberi potest quam exilium P. Rutilii Rufi, in iudicio de repetundis pecuniae damnati (Cf. Lange l. l. III. 93. 94). Cui Curiana causa contra M. Componium proxima fuit, nempe eodem anno (93) acta (de or. I. 39. 180; 32. 140; 57. 242). Postremo censoria Crassi oratio contra collegam Cn. Domitium Ahenobarbum commemoranda restat (92) (de or. II. 11. 45). Sequuntur enim nunc Livianae seditiones, quarum postea mentio fiet.

Haec fere sunt iudicia, quae ordine posita, inde a Gracchanis temporibus usque ad Livium colligi possunt. Accedunt profecto alia, ut Aemilii Scauri contra G. Memmium, G. Flavium (Fimbriam), G. Norbanum, quae tamen minoris sunt momenti (Val. Max. VIII. 5. 2). Ad bene recteque hanc rerum Romanarum partem perspiciendam multum obsunt illae causae, quippe quae toties a re animum avocant, ita ut perdifficile sit a continua

via non aberrare. Et tamen adeo haec, quum publica tum privata iudicia cum ipsis repus gestis cohaerent, ut qui ea neglexerit, ad bene res distinguendas pervenire non possit. Quod vero iam antea memoratum est, biographorum scripta et historicorum huius aetatis fere omnia deperdita esse, etiam quodammodo de orationibus illis dicendum est. Extant autem multa apud Ciceronem, praesertim in libris de oratore, quibus hoc damnum compensetur. Nec quae ex Cicerone aliisque scriptoribus nobis suppetunt, in laudem nobilitatis verti possunt. Si enim rogationem Mamiliam exceperis, nullae adsunt causae, quas non amore sui accusatores egerint aut odio adducti adversariorum, nec omnino nominari possunt, quae optimo iure ad finem sint perductae.

Talibus fontibus usi sunt posterioris aetatis scriptores, quales Sallustius, Livius, Valerius, Velleius, Florus, Orosius, Posidonius, Appianus, Plutarchus, Diodorus, Dio Cassius alii. De quibus singulis suo loco dicendum est, inprimis de Plutarcho, qui in vitis Marii et Sullae omnium uberrimam materiem praebuit unde res componerentur. Neque verbo opus est de Sallustio, Iugurthini belli et Historiarum auctore; hoc tantum praemittere liceat. Sunt qui putant Sallustii Historiis Sisennae opus ita continuari, ut consilio quodam Sallustius ab eo anno Historiarum initium fecerit, quo Sisennae Bellum Civile desierit [1]). Quod reputantibus quae sit Sallustii de Sisenna sententia, admodum dubium videtur, quin etiam ab ingenio eius prorsus abhorrere. Sisenna enim parum libero ore locu-

---

[1]) Gerlach, Histor. Studien III p. 48.

tus esse videtur, nempe adulatione aut metu Sullanis partibus favisse, Sallustius contra veritatis studiosissimus, „ non se divorsam partem in civilibus armis movisse a vero" [1]) profitetur. Iudicium eius de Sulla apparet ex iis quae laudibus iustis adiungit: „ nam postea quae fecerit, incertum habeo pudeat an pigeat magis disserere." [2]). Unde haud dubitandum est quin in tanta Sisennae operis suique diversitate, Sallustius cum huius libro Historias suas non contexuerit. Etiamsi Sisennae liber non extitisset ipse testis est se non nisi a morte Sullae initium Historiarum facturum fuisse [3]).

---

[1]) Hist. fr. ed. Kritz I. 6. cf. Cat. 4. 3. Iustam quidem quam profitetur viam se iniisse Sallustius non semper secutus esse videtur. Minime enim vituperat ea quae Metellus et Marius dolo malo contra Iugurtham egerint, nec fides ei est habenda victoriam apud flumen nomine Muthul enarranti. Reticet porro expeditionem illam a Metello esse susceptam ad Cirtam capiendam, quoniam proelio illo propositum suum relinquere coactus, in provinciam exercitum reduxit. Deinde Sullae facta Iugurtha capto nimis sunt aucta, pluris aestimante auctore patriae gloriam quam iustitiam et accuratam rerum disquisitionem. Quid enim de Aemilio Scauro traditur nisi eum effecisse, ut in numero quaesitorum ex lege Mamilia, crearetur? Rhetoricis artificiis abundat Cirtae obsidionis descriptio nec vero convenit oppidum illud prope mare esse situm. Cf. Ihne in Fleckeisenii Jahrb. 1880, p. 420 sqq. Mommsen R. G II. p. 146.

[2]) Iug. 95. 4.

[3]) Ib. 95.2.

DE G. MARII VITA QUAESTIONES [1].

Quo anno Marius natus sit, pro certo definiri non potest, quoniam hac de re parum accurate traditum est. Testes sunt Plutarchus et Velleius, quorum prior sibi ipsi non constare videtur; cap. 33 enim legitur Marium initio belli socialis, quod anno 90 exarsit, *sexaginta quinque* annos iam explevisse, cap. 41 vero eum anno 87, nempe quo ex Africa reversus Cinnae se obtulerit, *septuagenario maiorem* fuisse, denique cap. 45 eum *septuaginta* annos natum (ineunte anno 86) mortuum esse. Qui numeri quam male concinant facile apparet. Velleio auctore [2], anno 88 Mario post annum septuagesimum, imperium delatum est; eodem tamen auctore, post sextum consulatum annumque septuagesimum in carcerem Minturnensium perductus est [3]. Neque igitur apud Velleium certum nobis est indicium. Unde fit ut Marium ante

[1]) De vita quaerentes G. Marii, quae satis firma sunt omittebantur; unde vero factum est ut male connexae esse res videantur.

[2]) Vell. II. 18.

[3]) Ib. II. 19.

annum 156 natum esse statuamus; omnes enim loci aut hunc annum (Plut. 45) aut priorem quendam indicant. Errat igitur Mommsen [1]) annum 599 (155) proferens, nec Gerlach [2]) recte dicit Marium in Scipionis castra vix viginti duos annos natum venisse [3]).

De patria Marii inter se differunt Plutarchus (c. 3) et Sallustius (Iug. 63), quorum ille pagum Cereatas, Arpino vicinum, hic minus recte ipsum Arpinum fuisse memorat. Plinius enim (H. N. III. 5) in descriptione prima Italiae regionis, Cereatinos Marianos cognominatos fuisse testatur. — Nec de parentibus et genere constat. Obscuro loco natus est Marius, auctore Valerio Maximo [4]), qui eum Arpinatibus honoribus inferiorem fuisse refert. Humiliorem vero locum spectare videtur Plutarchus. Mario infestissimus, quasi fuerit γενόμενος γονέων παντάπασιν ἀδόξων, αὐτούργων καὶ πενήτων. Quam sententiam, licentia poetica nimis auctam, reddit Iuvenalis [5]):

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes, alieno lassus aratro.

A quibus discedit Velleius [6]), qui *equestri loco* eum

---

[1]) R. G. II. 188.

[2]) Marius und Sulla p. 4.

[3]) Mommsen l.l. „in Scipios numantinischem Kriege zog er damals drei und zwanzigjährig, des strengen Feldherrn Augen auf sich sqq." Quae verba non conveniunt cum numero 155 ab eodem supra allato. Cf. Smit p. 5 sqq., qui longiore quidem via ingressus, fere ad eundem ac nos exitum pervenit. Suspicatur ille Plutarchum c. 45 scripsisse διὸ ἔτη μὲν οβ βιωκώς, sed priorem litteram β, notam numeri, ob insequens alterum β participii βεβιωκώς scribae incuria excidisse. Quae coniectura si vera est, melius sane ratio apud Plutarchum constat.

[4]) VI. 9. 14. Aurelius Victor „humili loco" natum esse refert. Cf. Plin. H. N. XXXIII. c. 11. Tac. Hist. II. 38.

[5]) Sat. III. 8. vs. 245, 46.

[6]) II. 2. 1.

natum esse contendit. Alibi [1]) *ignotae originis* eum nominat. Altera lectio a plurimis reiecta est; sic recentes editores, Halm et Haase, pro *equestri* malunt *agresti*, aliis aliud vocabulum scribentibus [2]). Sive hoc sive illud retinemus, opus non esse videtur voce *equestri*, ut statuamus Marium humillimo loco natum non esse. Equestria enim stipendia apud Numantiam eum meruisse testatur Valerius Maximus [3]). Idem et Plutarchus (Mar. 3. 13) quam gratus acceptusque fuerit Scipioni enarrat, cuius profecto consuetudine usus non esset, nisi genere natus fuisset honesto. Nec a plebe infima quemquam uxorem ducere potuisse e nobilissimo Iuliorum genere, facile patet. Dicat quis Marium Iulia ducta gloriosum nomen sibi iam peperisse; errat tamen qui ita statuat. Duxit enim Caesaris amitam ex Hispania post praeturam Romam reversus [4]), nulla spe consulatus data, quem, nisi tempora magnopere favissent, nunquam fuisset adeptus. Quibus firmissimis argumentis accedit, quod Mario familiariter usi sunt Metelli et Herennii, in quorum erat clientela, quique amicitiae vinculo cum eo erant coniuncti. Unde constat Marium ex tali genere municipali natum esse, ut virtute et continentia eius cognitis, satis haberet quo se nobilissimis Romanis commendaret [5]). Nec

---

[1]) II. 128. 2. Pluijgers, Mnemos. IX. 1 p. 24: „Ti. Coruncanium appellat *hominem nonum*, Sp. Carvilium *equestri loco natum*, M. Catonem *urbis inquilinum*, C. Marium *ignotae originis*. Omnia haec eodem sensu dicuntur variata eleganter oratione et *ignotae originis* prorsus idem significat atque *equestri loco natum*."

[2]) Rurestri, silvestri, quaestuario! (Cf. ed. Burm.)

[3]) VIII. 15. 7.

[4]) Mar. 6.

[5]) Non consentio igitur cum Mommsenio R. G. II. 189, de Marii origine disserente. — Mnemos l.l.: „Eodem fastidio dicebant homines nobiles *equitis Romani filius*,

tamen miramur quod Plutarchi auctores, Mario infestissimi, gloriam huius et virtutes detrectare conati, in dubium vocaverint originem, ut ex faece civium orto Mario nullum vitium non innatum esse videretur. Posteri vero, quibus nulla causa erat Marii perstringendi, eo libentius eum agresti loco esse natum credebant, quo magis antiquos illos heroes in mentem revocaret. Unde factum est, ut sensim pedetentimque opinio illa radices egerit, quae si vera esset omnino nihil de Marii dignitate detraheret, ficta tamen animum adversariorum invidiosum coarguit [1]). — Itaque Marius Cereatis ante annum 156 ex genere equestri natus, prima stipendia facit sub P. Scipione Aemiliano [2]).

Quae argumenta de genere Marii attulimus, etiam usui nobis sunt de natura et indole disserentibus. Pri-

---

natus equestri loco, et *humilitas generis, ignotae originis.*" Et paulo post: „Catilina in Curia dixit (Sall. Catt. 31): „ne existimarent sibi patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in populum Romanum essent, perdita rep. opus esse, quum eam servaret M. Tullius *inquilinus civis* urbis Romae." „Ecquid interesse putemus inter hoc arrogantium hominum convicium et *humilitatem generis* et *ignotam originem?* Deridens Cic. (pro Sylla VII) Torquatum, qui eum *peregrinum regem* dixerat „scire ex te pervelim, inquit, quamobrem qui ex municipiis veniant peregrini tibi esse videantur. Nemo enim istuc M. illi Catoni seni, quam plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, quum ei multi inviderent, obiecit umquam. Si Marius *contemtissimae et sordidissimae stirpis* fuisset, non erat cur nobiles qui eum pessime oderant, inviso homini obiicerent eum ex municipio esse."

[1]) Cf. Iug. 85. 13: „comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum." Ib. 14: „contemnunt novitatem meam." Ib. 25: „. . imagines non habeo et nova mihi nobilitas est." Ib. 29: „non possum fidei causa imagines neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare"

[2]) Oscum fuisse genus putat Niebuhr, Vortr. über röm. gesch. II p. 135; videtur igitur ex Campania Cereatas migrasse, ibique in clientelam venisse Herenniorum (Mar. 5). Cf. Vollgraff ll. p. 18: „We know that the name of Marius (latinized from μαρας, gen. μαραι) very frequently occurs as a praenomen as well in authors as in inscriptions, in all parts of Italy inhabited by an Oscan population, especially in Campania (Nola and Pompeji furnish more than one instance) and Lucania. Cf. Mommsen, Unterital. Dial. p. 277 and p. 296 sqq."

mum quidem de humanitate, quam omnino ei abnuit Plutarchus (Mar. 2). Graecae linguae ignarum fuisse apud omnes constat, quae vero ignorantia illa aetate in summo viro ridicula habebatur. Nec unquam suae vitae Marium illi linguae studuisse traditum est, palam contra litteras et artes invisas sibi esse ostentabat [1]. Usui enim rerum quam scientiae operam dare malebat; prudentia superabat doctrinam [2]. Cuius rei testimonia e vita militari Marii afferre opus non esse videtur. Sunt vero quibus, a natura nullo litterarum et artium studio donatis, inest lepor et iucunditas quaedam, quae captat animos gratosque omnibus nos reddit. Tale quid habuisse Marius videtur [3]. Notum enim nobilissimum quemque eum amasse nec Scipionem latuisse ad quos honores aliquando adscenderet. Qui virtute et disciplina militari innotuerat iuvenis, mox facetiis et naturali ingenio gratus conviva accipiebatur a viris nobilissimis (Mar. 3). Tanta Romam eius fama transvolaverat, ut plerisque faciem eius ignorantibus, factis notus, per omnes tribus tribunus militaris declararetur [4]. Itaque via ad militares honores ei patebat; quaesturam vero petere mox eum ausum esse memorat Valerius [5]. Tribunus plebis creatus est [6] nec hominem

---

[1]) Cf. Plut. Mar. 2. μετὰ δὲ τὸν δεύτερον θρίαμβον, ἐπὶ ναοῦ τινος καθιερώσει θέας Ἑλληνικὰς παρέχων, εἰς τὸ θέατρον ἐλθὼν, καὶ μόνον καθίσας εὐθὺς ἀπαλλαγῆναι.

[2]) Iug. 63: „stipendiis faciundis non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit." Cf. c. 85.

[3]) Animadvertendum est nos ita de Marii natura et indole dicere velle, ut quomodo se habuerit appareat, antequam acerbissimis iniuriis adversariorum ad extremum incitatus, omnia miscuerit flamma ferroque.

[4]) Iug. 63.

[5]) VI. 9. 14. Omittit quaesturam Plutarchus.

[6]) Mar. 4.

plane rusticum et agrestem hoc honore dignum habitum esse, veri simile est. Accedit quod Metelli tribunatum petenti maxime ei favebant. In medio igitur ut solet verum situm est. Rusticum eum fuisse et inhumanum denegandum est; tamen naturae simplicitate et probitate a Graecorum moribus abhorrebat. Facili autem intellegitur simplicem illum virum per multos continuos annos in castris versatum militumque quotidiana consuetudine usum, moribus haud politiorem evasisse; quique antea e nobilitate amici habitui eius indulserant, mutata sententia adversarii infestissimi in eum sunt invecti. Adhibetur vulgo narratiuncula illa Marium cum triumphali veste in senatum venisse [1]). Fac hoc Marium consulto fecisse, quod tamen ipse dubitat Plutarchus [2]), tamen non, ut Mommsen, inscitia legum factum esse credimus. Nemo enim erat Romae, nedum ipse imperator, quin sciret triumphali veste indutum curiam ingredi nefas esse. Siquidem consulto fecit, elato animo et superbia fecisse putamus.

Superstitiosus Marius fuit. Quis tamen Romae erat quin hoc vitio laboraret? Aevi magis quam singulorum hominum proprium erat, nec sane omnium minime Sullae, nobilitatis principis. Hoc enim vulgo potissimum habetur argumentum quod Sullae commentarii Plutarcho fontes extiterint, quod in Marii vita toties superstitionis mentio fit [3]). Omnia enim quae a Plutarcho enarrantur de

---

[1]) Cf. Mommsen R.G. II 189.

[2]) Mar. 12: „εἴτε λαθὼν αὑτὸν εἴτε τῇ τύχῃ χρώμενος ἀγροικότερον .... „Dio C. 48. 4 nimis rhetorem olet; Lucius enim se ipsum cum Mario comparans sibi ipsi primarias partes dat. Cf. Liv. Epit. 67.

[3]) Heeren de font. Plut. p. 148.

oraculis et portentis, ingenium redolent Sullae, etiamsi ex aliis auctoribus ea sumpsisse profitetur. Eorum enim quae de saga Syria Martha memorat Plutarchus [1]), testem adhibet Alexandrum Mundonem, Mariumque, antequam Romam profectus sit ad consulatum petendum, per hostias deum supplicasse confirmat Sallustius [2]). Opus non esse videtur aliunde exempla afferre huius simulatae religionis [3]); abundabat Roma astrologis, mathematicis, magis, Chaldaeis tantumque creverat superstitio ut, ne homines deorum placandorum gratia immolarentur, Gn. Lentulo, P. Licinio Crasso Divite css. Scto prohibitum sit [4]).

Ipsa igitur haec superstitio Mario vitio verti non potest; erat quidem rebus gestis ac victoriis magis quam litteris ad rei militaris scientiam eruditus, ignarus linguae Graecae, urbanarum munditiarum contemptor; attamen praeter ea quae supra memoravimus, alia adsunt cur naturalis quaedam eloquentia neganda ei non sit. Etiamsi enim orationem apud Sallustium [5]) silentio transierimus, exempla apud Plutarchum leguntur, ex quibus dicendi illa facultas apparet animusque praesens. Primum quum Camertium duabus cohortibus ob miram contra Cimbros virtutem, in ipsa acie contra legem civitate donasset; quod factum ita excusavit, quasi inter armorum strepitum verba iuris civilis non audisset [6]). Haec Cicero spectare

---

1) Mar. 17. Cf. Val. Max. I. 2. 4 ext.

2) Iug. 63.

3) Cf. de Sulla Drumann II p. 502 sqq.; de Gn. Octavio ib. p. 581. IV. 223; de Q. Sertorio Val. Max. I. 2. 5. Plutarchus de Sullae somniis prodigiisque in vita c. 5. 6. 7. 9. 11. 17. 27. 28. 29. 37.

4) Anno 97. Plin. N. H. 30. 3. Cf. Dio Cass. XLIII. 24.

5) Iug 85 sqq.

6) Plut. Mar. 28. Val. Max. V. 2. 8.

videtur in oratione pro Balbo c. 20 professus: „Tanta auctoritas in G. Mario fuit, ut non per L. Crassum, affinem suum, hominem incredibili eloquentia, sed paucis ipse verbis causam illam gravitate sua defenderit et probarit.” Deinde quae, ut Plutarchi verba afferam, Mithridati respondit, Romanis rebus minitanti: „Ἢ μεῖζον, ὦ βασιλεῦ, πειρῶ δύνασθαι Ῥωμαίων ἢ ποίει σιωπῇ τὸ προστασσόμενον [1]). Dictum quo dignius cive Romano antiquo vix invenies, quod tamen ab inimicis crimini est datum [2]). Pompaedio Siloni frustra Marium proelio lacessenti summaque iactantia provocanti: Εἰ μέγας εἶ στρατηγὸς, ὦ Μάριε, διαγώνισαι καταβάς, Marius respondit: Σὺ μὲν οὖν, εἰ μέγας εἶ στρατηγὸς, ἀνάγκασόν με διαγωνίσασθαι μὴ βουλόμενον [3]). Occasione vero data pugnandi Romani milites ne proelium committerent recusaverunt; tum Marius, militibus in concionem convocatis, Ἀπορῶ inquit, πότερον εἴπω τοὺς πολεμίους ἀνανδροτέρους ἢ ὑμᾶς. Οὔτε γὰρ ἐκεῖνοι τὸν νῶτον ὑμῶν, οὔτε ὑμεῖς ἐκείνων τὸ ἰνίον ἰδεῖν ἐδυνήθητε. Postremo in memoriam possem revocare, quae Marius Minturnis servo respondit ad eum occidendum misso, nisi, ut fieri solet, ficta esse viderentur. Velleii [4]) et Valerii Maxi-

---

[1]) Mar. 31.

[2]) De Mario ad Mithridatem emigrante post Appulei Glauciaeque mortem unus tantum Plutarchus loquitur. E tota huius vita vix ulla pars Mario infestiorem prodit animum quam quae continetur c. 28—38, nempe in quibus Sullae contra Marium, bellum describitur. Postea de hac re plura sunt dicenda. Huius tamen loci est rogare cur fere omnes historici, etiamsi Plutarcho maxime diffidant, pro certo statuant Marium belli contra patriam movendi causa in Asiam esse profectum. Quae alibi ut proprium eius naturae commemoratur superstitio, nunc supprimitur resque non probabilis habetur. Et tamen nusquam Sullae animus hostilis magis denotatur. Cf Mommsen l.l. II. 207; Gerlach, Marius und Sulla p. 21; Lange l.l. III. p. 85.

[3]) Mar. 33. Apophth. Mar. 6.

[4]) II. 19. 3.

mi [1]) multo probabilior est rei expositio, quasi imperatorio vultu perculsus gladio abiecto servus fugerit. Quidquid enim de Marii figura et vultu enarrat Plutarchus, non convenit cum aliorum, imprimis Ciceronis testimonio speciemque inimici prae se fert animi [2]).

Reprehenditur Marii effrenata ambitio. Erat sane gloriae cupidissimus, ita tamen ut nunquam studio illo probitatem sibi innatam laederet [3]). Quae enim ab inimicis contra sex continuos consulatus sunt allata, postea refellenda sunt. Teutonibus victis quod cum Catulo triumphare maluit quam solus illo honore frui, honestam ambitionem satis denotat. Haud ignoramus Plutarchum [4]) ita rem exhibere, quasi nihil aliud quam mimum egerit Marius, Valeriumque [5]) narrare a senatu Catulum participem triumphi esse datum; verum comparandi sunt Cicero [6]) et Livius [7]), e quorum verbis contraria patet rei interpretatio. — Optima ut fit argumenta contra eos qui Marii ambitionem in maius extollunt, ex iis sumi possunt, quae quadam in re *non* fecerit, idque comparatione adhibita aemuli aequalis. Omittamus in

---

[1]) II. 10. 6.

[2]) Comparandi sunt Plut. Mar. 2: „Τῆς δ' ὄψεως τῆς Μαρίου λιθίνην εἰκόνα κειμένην ἐν Ῥαβέννῃ τῆς Γαλατίας ἐθεώμεθα, πάνυ τῇ λεγομένῃ περὶ τὸ ἦθος στρυφνότητι καὶ πικρίᾳ πρέπουσαν." Quocum consentit Vell. II 13: „hirtus atque horridus vitaque sanctus". Cicero vero pro Balbo 21 49: „Quodsi vultus G. Marii, si vox, si ille imperatorius ardor oculorum, si recentes triumphi, si praesens valuit adspectus: valeat auctoritas, valeant res gestae, valeat memoria, valeat fortissimi et clarissimi viri nomen aeternum" Cf. Tusc. Qu. II. 22.

[3]) Non sermo est hic de Marii vitae ultima parte.

[4]) Mar. 27.

[5]) IX. 12. 4.

[6]) Tusc. Qu. V. 19.

[7]) Epit. 68.

praesens inquirere, uter Marius aut Sulla, bellum cum Jugurtha gerens, maiore gloria dignus fuerit: paria utriusque merita fuisse statuamus. Quid fecit Sulla? Totam sibi laudem tam cupide adseruit, ut anulo quo signatorio utebatur, insculptam illam traditionem haberet Bocchi regis capti [1]. Quid Marius? Quin etiam adeo Sullae iactanti non invidebat, ut sequenti anno eum legatum, postea tribunum militum eligeret. Haesitasse Marium memorat Val. Max. VI. 9. 6, antequam Sullam quaestorem sibi adiungeret. Quum tamen eo perventum esset, ut in honorem Sullae imagines in Capitolio ponerentur a Boccho rege, vix Marius prohiberi potuit quin eas deleret [2].

Mirum profecto non est quod nobiles ambitionis et gloriae nimiae aviditatis accusarent Marium; quicunque enim e plebe homo summum magistratum appetere audebat, huic omnibus viribus resistebant nec quidquam maledicti et convicii intentatum relinquebant. Num ullo iure accusabant ii, e quorum partibus L. Caecilius Metellus, Dalmaticis victis, quibus sine ulla causa bellum intulerat, triumphum immerito agebat [3], L. Licinius Crassus parvo praedonum numero caeso, haud dignorum qui populi Romani hostes dicerentur, triumphum a senatu postulare audebat [4]? Marius contra Romam revocatus post Cimbricam victoriam, triumphum oblatum abnuit [5]. Cuius tamen quo melius de ambitione iudicemus, accurate

---

[1]) Plut. Sulla 3. Mar. 10, coll. 32. Dio 42. 18. Val. Max. VIII. 14. 4. Plin. N. H. 37. 4.

[2]) Sulla 6.

[3]) Liv. Epit. 62. App. Ill. 11 (anno 119).

[4]) De inv. II. 37. 111 (anno 94).

[5]) Mar. 24.

inquirendum est sex consulatus quomodo occupaverit. Ex belli Iugurthini narratione satis notum alios magistratus plebem, consulatum nobilitatem inter se per manus tradidisse [1]. „Nobilitas invidia aestuabat et quasi pollui consulatum credebat, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret" [2]. Itaque Marius quaesturam quidem et praeturam obtinuerat, nec tamen fortasse ad consulatum pervenisset [3], nisi cladibus bello Cimbrico acceptis, quibus imperitia et temeritas nobilium in rebus militaribus maxime ostendebatur [4], — Vestalibus incestus accusatis et condemnatis [5], — lege Manilia lata, summa invidia plebis adversus optimates nata esset. Quibus rebus factum est, ut Marius consul crearetur. Videamus nunc quid hac de re proditum sit. Hoc primum animadvertendum, inde a primo Marii consulatu nihil omnino boni a Plutarcho de eius natura et indole memorari. Inde ab hoc tempore summo in odio est nobilibus, in quorum privilegia irrepserit omnibusque viribus ei resistunt. Omnia quae ab eo perficiuntur male interpretantur scriptores. Secundum Plutarchum [6] legatus Metelli suum ipsius tantum commodum spectabat nec, ut ceteri, ducis gloriae studebat. Omnes suas virtutes militares, eodem auctore,

---

[1] Sall. Iug. 63.

[2] Sall. Catil. 23. Iug. 44.

[3] Cic. de off. III. 30. 79.

[4] Cn. Papirio Carbone (apud Noreiam, 113), L. Cassio Longino (107), G. Popillio Laenate ducibus. — Cf. Sall. Iug. 85 in Marii ad Quirites oratione: „At ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt, et acta maiorum et Graecorum militaria praecepta legere coeperunt: praeposteri homines sqq."

[5] Liv. Epit. 63. Obseq. 37. Oros. 5, 15. Dio C. fr. 87 B. Plut. qu. Rom. 83. Schol. ad. Hor. sat. 1, 6, 30. Ascon. p. 46; cf. Macr. Sat. 1, 10, 5 Cic. Tusc. 3, 30, 74.

[6] Mar. 7.

prae se ferebat, fortitudinem, perseverantiam, simplicitatem, ut militum gratiam sibi conciliaret. Quas virtutes tamen ostenderat bello Numantino et Hispaniensi contra praedones [1]), naturae eius insitae erant. Accedit porro apud Plutarchum historia Turpilii [2]), quae si vera est habenda, Metelli odium in Marium probari potest. Sallustius vero rem plane diversam enarrat multoque probabiliorem [3]). Quantopere Plutarchus Sullae faverit in hac Marii vitae parte, inter alia inde apparet quod refert Metellum Mario nihil reliqui fecisse quam Iugurtham comprehendere [4]). Ipsi sibi tamen obloquitur c. 12, proferens de Numidarum rege: οὗ ζῶντος οὐδ' ἂν εἷς ἤλπισε πολεμίων κρατήσειν. Summa deinde perfidia rem ita proponit, quasi Marius ad novum delectum non solum *capite censos*, verum etiam *servos* armaverit [5]). Alii omnes de capite censis tantum mentionem faciunt [6]). Optimum quod nobis videtur consilium, quod tamen a nobilibus per ambitionem captum esse dicebatur [7]). Aegre enim ferebant ditiores militiam nec nisi summa cum difficultate delectus fieri poterant. Animadvertendum est illud „non duo milia civium esse qui rem possiderent," a tribuno Marcio Philippo dictum [8]).

---

[1]) Mar. 6.

[2]) Ib. 8.

[3]) Iug. 69.

[4]) Mar. 10.

[5]) Mar. 9.

[6]) Sall. Iug. 86. Flor. III. 1. 13. Val. Max. II. 3. 1. Ne libertinos quidem armavit Marius qui, ut notum est, inde a bello sociali in legiones recipiebantur. App. B. C. I. 49. Liv. Epit. 74.

[7]) Iug. 86.

[8]) Cic. de off. II. 21. 73. — Nec solum privati homines armis vacare

Usque ad consulatus petitionem Metello familiariter erat usus, nec quae tribunatu suo contra optimates Marius conatus erat in favorem plebis, hanc amicitiam perturbare poterant. Initio contra belli Iugurthini legatus ab amico creatur optimeque omnia se habent, donec Marii consilio aperto invidia exardescit, nimirum qui a spe consulatus longe abesse videretur et iam septimum annum post praeturam iaceret [1]). Crimini datur Mario, quod Romae adversario turpissime conviciatus, indigna iactatione semet ipsum plebi commendarit [2]). Negari non potest teste Sallustio, Marium neque facto neque dicto abstinuisse, dummodo propositum adsequeretur; nec tamen obliviscendum est eum non nisi graviter a Metello offensum huc prolapsum esse. Omni genere iniurarium plebeios iamdudum prosequi solebant nobiles nec aemulari sinebant: tandum Marium viribus suis fretum in certamen descendere cum iis, qui summos honores sibi solis destinatos esse putabant, quid mirum?

Malis artibus Metello apud plebem ita nocuisse dicitur, ut pro eo ipse consul et dux belli Iugurthini crearetur. Quod si fecerit, non ita fecit profecto, ut Metello debita praemia adimerentur. Nec dubium quin adimere po-

---

studebant sed etiam apud eos, qui ad salutem patriae custodiendam delecti erant; tantum valebat gratia et auctoritas amicorum, ut munere suo nonnunquam abuterentur quosque minime decebat legibus solverent Quin potius L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules, quum bello Hispaniensi delectu habito neminem gratia dimitterent, in carcerem sunt coniecti a tribunis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant Quod quum taedium muneris, quo nihil antiquius habebant maiores, sensim pedetentimque crevisset, quid miremur Marium ad insolitas res confugisse?

[1]) Cf. Cic. de off. III. 20.

[2]) Vell. II. 11. 2. Plut. Mar. 8. Sall. Iug. 64.

tuisset, si voluisset [1]). Non enim senatus, quamquam avorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat plebesque sic accensa erat, ut sua necessaria post illius honorem duceret [2]). Et tamen Metellus Romam profectus „contra spem suam laetissimis animis accipitur, plebi patribusque iuxta carus" [3]); unde satis apparet neque Marium neque socios eius contra Metellum acerrime conspirasse [4]). Haud multo post duo illi viri summa concordia una agunt contra Equitium [5]). Quod tamen omnium maxime viam nobis indicat hoc est: Metellum non tam provinciam doluisse quam homini novo addictam [6]); quibus perpensis constat inter primarias in civitate partes magis quam inter singulos duces dissensum esse.

Quum nemo ex nobilibus aut opulentis familiis consulatus candidatum se profiteri sustineret [7]), absens Marius, exemplo Aemiliani adhibito legibus solutus, iterum consul creatus est [8]). Cuius electionis gloriam quamvis nemo obtrectet, tamen memorare opus est Marium huius consulatus collegam hominem novum habuisse, G. Fla-

---

[1]) Animadvertendum est Plutarchum semper verbosum in Marii malis artibus enarrandis, de initio primi consulatus nihil fere memorare. Hoc tantum prodit eum λαμπρῶς esse creatum. (c. 9). Cf. Sall. Iug. 67: „honestissima suffragatio".

[2]) Ita Sall. Iug. 73. 84.

[3]) Sall. Iug. 88.

[4]) Drumann l.l. II. p. 38 putat populum Romanum intellexisse iniuria se Metellum suspectum habuisse, quod tamen nequaquam veri simile esse videtur.

[5]) Val Max. IX. 7. 1.

[6]) Sall. Iug. 82.

[7]) Plut. Mar. 11. 12

[8]) Plut. Mar. 11, dicens: τοῦ μὲν νόμου κωλύοντος ἀπόντα καὶ μὴ διαλιπόντα χρόνον ὡρισμένον αὖθις αἱρεῖσθαι, non accurate rem explicat. Non enim plebiscito anni 412 Marius solutus est, quo ne intra decem annos consulatum obtinere vetitum erat, verum lege anni 151, qua iterum consul fieri prohibebatur. Cf. Cic. de imp Gn. Pomp. 20 60. Mommsen, Röm. Staatsr. I. p. 502. 3.

vium Fimbriam. Quibus consulibus odium nobilium vehementer crevit, Cassiis legibus latis ad minuendam nobilitatis potentiam [1]). Tertio etiam absens consul factus est Marius; nullo enim alio duce milites merere volebant. Fama iustitiae valde aucta Romam transvolaverat, quam praestiterat quum in aliis causis tum praesertim in G. Plotii [2]). Plutarchus quamvis non dicat hanc iustitiam dolo malo Marium ostentasse, tamen admodum in suspicionem eum adducit. Longius autem procedit in quarto consulatu enarrando: Marius enim M'. Aquilione in castris relicto Romam profectus, indignas ibi partes agit una cum Appuleio Saturnino, per simulationem consulatum reicit et quasi invitus patriae tantum amore ad summum honorem rursus obtinendum adducitur [3]). — Licet rogare quare Mario simulatione opus fuerit, quippe qui, tali consensu superiore consulatu dato, nullam omnino repulsae ansam dederit. Ipse Plutarchus responsum dat: μετιόντων δὲ πολλῶν καὶ ἀγαθῶν. Requiescebat ad tempus bellum Cimbricum, nec qui antea petitione abstinuerant optimates, tunc desiderabantur. Tantis e nobilitate viris repulsam ferentibus non profecto mirandum, quod in culpa fuerit adversarius victor. — Quintus consulatus

---

[1]) Ascon. in Corn. 78. Altera lege Cassia suffragiorum vis potestasque convaluit, altera populi iudicia firmata sunt. Quod tamen multarum legum latarum causa saepius fuit odium privatum, etiam secundae Cassiae legis origo fuit. Tulerat enim propter simultates cum Q. Servilio, cui populus, ut notum est, abrogavit imperium.

[2]) Val. Max. VI. 1. 12. Cic. pro Mil. 4. 9. Plut. Mar. 14. Plutarchus de Marii iustitia mentionem faciens Plotii causam omittit. Cf. Val Max. VIII. 2. 3.

[3]) Mar. 14. Liv. Epit. 67. Eodem fere verbo utuntur ad petendi rationem illustrandum: θρυπτομένου τοῦ Μαρίου — „dissimulanter captans". Unde fortasse concludere licet ex eodem fonte, Sullanis commentariis, utrumque hausisse. Adhibet Lange l.l. III. 72 Gran. Licin. p. 21 ed Bonn Quid sibi velit non liquet, saltem non inveni in ed Berol. Pertz.

nuntiatur Mario cum exercitu sacrum facienti [1]. Nuntio Romam allato victoriae apud Aquas Sextias reportatae, consensu omnium consul est creatus [2]. Catuli imperium in Gallia Cisalpina prorogatum est. Restat sextus consulatus anni 100 a. C., de quo antequam agimus, erit videndum, cuius partis in re publica administranda fuerit Marius.

Constare videtur apud omnes Marium non solum a plebis partibus stetisse, verum ita stetisse ut quemque ardore et vehementia superaret. Nec mirum. Qui enim rerum memoriam prodiderunt huius aetatis scriptores, nobilitati propensi, hanc opinionem aluerunt. Quod iliis temporibus patria periclitante bono civi dedecori esse solet, nempe nullius partis esse, hoc laudi Mario tribuatur necesse est. Singulae enim factiones, optimatium, equitum, plebeiorum hominum, aeque malis inquinatae erant; nullum fere vestigium erat relictum patriae amoris et abstinentiae: omnia ad singulorum utilitatem referebantur [3]. Erat profecto minima pars civium, quibus nulla salus maior rei publicae inveniri poterat, qui tamen tempori cedere cogebantur. — „Ita omnia in duas par-

---

[1]) Plut. Mar 22. Liv. Epit. 68.

[2]) Dio p. 135 ed Dind.

[3]) Notior aetatis illius morum conditio quam ut pluribus verbis de ea disseramus. Tamen ne res augeatur cavendum est. Sic falso Lange l. l. III. p. 73 ex loco Obseq. 104 (ed. Oudend), concludit: „Es fällt auf dieselben (die sittlichen Zustände) ..... ein bedenkliches Licht, sowohl aus der übertriebenen Prodigienfurcht, als auch aus dem einreissenden Unfuge der Selbstverstümmelung zu Ehren der Mater Idaea.” Obsequens vero unum tantum servum respicit nec mores depravatos in universum. Addit: „Urbs lustrata, capra cornibus ardentibus per urbem ducta, porta Naevia emissa relictaque.” Quod peculiare fuit huius lustrationis, nec observatum vulgo in aliis. Cf. Oudend. l. l. ann.

tes abstracta sunt, res publica quae media fuerat dilacerata" [1]).

Gracchis mortuis nobilitas, quo nunquam antea adscenderat, plebis vis soluta atque dispersa in multitudine, nihil fere poterat [2]). Talibus temporibus G. Marius, tribunus plebis, legem Semproniam de suffragiis renovavit, ut pontes angustiores fierent, quos suffragium ferentes transirent, ne quis inspicere tabellas posset. Itaque ambitum coercebat et suffragii ferendi libertatem augebat [3]). Non solum laudandus est Marius quod opem tulit plebi oppressae, verum ideo quod L. Aurelio Cottae et L. Caecilio Dalmatico consulibus restitit, legi adversantibus; et tamen alterius fratris quotidiana consuetudine utebatur [4]). Nondum enim privato in nobiles odio erat incensus, quippe qui saepe praesidia ei fuerant. Nec ad plebem conciliandam hanc viam Marium iniisse contendi potest. Nam brevi post largitioni in plebem resistebat [5]); qua re satis notum est populares viros benevolentiam plebis consectari solitos esse. — Quo facto Marius in utriusque aedilitatis petitione repulsam passus est, δόξας δὲ θρασὺς εἶναι καὶ αὐθάδης [6]). Immo recta via non decessit, a natura animo iusto et honesto donatus [7]). Cuius iustitiae testimonium adhibeatur causa illa, supra memorata, quum sororis filium a G. Plotio manipulario milite, iure caesum

---

[1]) Sall. Iug. 41.

[2]) Sall. Jug. l. l.

[3]) Plut. Mar. 4. Cic. de leg. III. 17. 38.

[4]) Omnia Mario posse ignosci praeter consulatus petitionem ex eo apparet, quod Metellorum amicitiam etiam post seditiosum tribunatum retinuerat.

[5]) Plut. Mar. 4.

[6]) Ib. 5.

[7]) „Anerkannt brav und rechtschaffen." Mommsen l. l. II. 196.

pronuntiavit, quia eum de stupro compellare ausus fuerat. Cui iudicio accedit damnatio Fanniae, a Val. Max. VIII. 2. 3, memorata; Fannia enim erat quae Marium, hostem a senatu iudicatum, Minturnis domum suam recepit.

Teutonibus victis praedam vili pretio militibus vendidit, ne videretur quidquam ex ea dono dare [1]), quod factum adeo quum plebi tum nobilitati placuit, ut παρ᾽ ἑκόντων καὶ ὁμογνωμονούντων quintum consul crearetur [2]). Quod egregie in proelio meritos Camerinos civitate donavit [3]), primo adspectu populare factum esse videtur, Marioque ab adversariis valde exprobrabatur [4]). Attamen rem accuratius perpendentibus e contrario plebi invisum fuisse apparebit. Reputemus enim quae postremo tempore acciderint. Rogatio Fulvia de civitate sociis danda, anno 125, invidia quum senatus tum plebis perlata non est [5]), nec perferebatur lex de sociis a G. Graccho promulgata [6]). Adversabantur G. Fannius Strabo [7]), M. Aemilius Scaurus,

---

[1]) Dio fr. 94, qui unus omnium Mario infestissimus est. Cf. fr. 39.

[2]) Ib. fr. 94.

[3]) Plut. Mar. 28. Val. Max. V. 2. 8. Cic. pro Balbo 20. 22. 50.

[4]) Cf. Lange l. c. III. p. 80. ann.: „Man hatte es dem Marius sehr übel genommen, dass er im Cimbernkriege zwei ganze Cohorten der Camerter mit dem Bürgerrechte beschenkt hatte." — Camerini aequo foedere cum populo Romano coniuncti erant, Liv. XXVIII. 45. Quo statu rerum adeo contenti esse videbantur, ut, lege Iulia lata, civitatem mutare nollent Cicero pro Balbo 22 enim narrat Pompeium duas cohortes Camerinas civitate donasse. Cf. Kiene, Röm. Bundesgenossen-Krieg p. 228. Veri similius tamen videtur urbi Camerinae munus illud omnino non esse oblatum. Nam apud App. B. C. I. 36 Umbros et Etruscos metu perculsos, ne fundos suos Liviis Drusi legibus amitterent, contra Drusum conspirasse legimus necemque ei parasse, dum alii socii saluti eius publica vota facerent. Quam ob causam fortasse, aliis praelatis, civitate impertiti non sunt.

[5]) Vall. Max. IX. 5. 1. App. B. C. I. 21.

[6]) Plut. G. Gr. 5. 8. 9. App. B. C. I. 23.

[7]) Cf. Cic. Brut. 26. 99, ubi oratio eius memoratur contra Semproniam legem habita „de sociis et nomine Latino."

M. Plautius Hypsaeus, M. Livius Drusus, e nobilitate viri; resistebat vero etiam universa plebs Semproniae legi. Putabat enim vulgus sua ipsius commoda et privilegia imminui, novis civibus adiunctis, nempe qui in contionibus, ludis, festis locos angustiores redderent et largitionum participes fierent. Volebant quidem quodammodo sociorum miserrimo statui occurrere [1]), provocatione [2]), verberum abrogatione — civitatem tamen quam aegre concesserint, bellum testatur sociale. Quantum praeterea Marii ac Saturnini auctoritas valuerit, ex lege efficitur Appuleia, qua coloniis deductis, G. Marius in singulas colonias *ternos* cives Romanos facere posset [3]). Ulterius progredi Saturninus ausus non est; nec tamen ea lex perlata est [4]). Nec quod initio Marius primi consulatus postulavit supplementum legionibus, plebi volenti esse putabatur; sperabat enim senatus fore ut ea ratione vulgi studia amitteret, laetusque ideo supplementum decrevit [5]). Opus non est plura afferre, quibus Marium, plebe invita, Camerinos civitate donasse arguatur.

Accedit huic iustitiae studio probitas et integritas, aetate illa rarae virtutes. Satis notum quanti et quales viri — optimatium principes — lege Mamilia damnati

---

[1]) Cf. Gell. X. 3.

[2]) *Simulabat* saltem Livius rogatione sua, provocatione se socios donaturos esse; verum ne haec quidem concessa esse videtur. Cf. Diod. XXXVII. 18.

[3]) Cic. pro Balbo 21. 48. Mommsen, R. S. II. 855.

[4]) Cic. de Leg. II. 6 Cf. Lange l. c. p. 80: „Weiter konnte Saturninus, der schon durch seine Lex agraria dem Egoismus der römischen Bürgerschaft eine bedeutende Selbstverleugnung zugemuthet hatte, nicht gehen."

[5]) Sunt verba Sallustii, Iug. 84.

sint [1]), quod a Iugurtha pecuniam acceperint; quo modo Sulla se ditaverit [2]); quod furtum Caepio fecerit [3]). Marius contra, tantorum bellorum victor, occasione rem augendi saepissime oblata, abstinentia apud milites inclaruit. Quae abstinentia factum est, ut in via perseveraret quo animus inducebat, officii religione tantum obstrictus. Ex quo tamen intellegitur eum plebi Romanae sociisque oppressis propitium fuisse et quoad potuerit auxilio venisse. Appuleiis legibus latis non mirandum quod Marius iis faverit; iustissima enim ratione Sempronias leges renovare conatus est Saturninus, qui si temporibus minus depravatis vixisset, aliam sortem profecto esset expertus.

Nulla res magis constare videtur antiquis scriptoribus, quam Saturninum turbulentissimum seditionum auctorem fuisse. Nemo profecto aequalium eum defendit, quum omnes starent a partibus eorum, qui rerum statum incolumem servare vellent. Fortiter omnibus repugnabatur quae in plebis favorem suscepta sunt a viris popularibus, non solum huius aetatis verum etiam superioris. Quicunque, ne dicam novis rebus studebant, verum novis legibus rei publicae mederi conabantur, conviciis exonerati, aut patriam mutabant aut vi tollebantur. Fuerunt

---

[1]) Cic. Brut. 33; Verr. IV. 10; pro Balbo XI; pro Sext. 67; pro Planc. 28. Amm. Marcell. 25. Vell. XI. 26.

[2]) Plut. Sull 1. 6.

[3]) Auri Tolosani quaestione damnatus. (Cic. de nat. deor. III. 30. 74.) Dio fr. 90 thesauros illos evanuisse narrat multosque in iudicium esse vocatos, nec tamen Caepionem nominat. Etiam Cicero nomen eius reticet. Cf. Strabo IV. p. 188. Iustin. XXXII. 3.

quidem alli, qui turbarum metu proposito suo desistebant, quo facto in coelum sublati, libenti et laeto animo a nobilibus rursus excipiebantur. Sapientis cognomine ornatus esse Laelius dicitur, quod sententia mutata, spem plebis destituerit; voluit enim legem ferre agrariam, sed ne seditionem moveret metuens, a proposito decessit [1]). Maiore nobilium parte plaudente, fuerunt qui propter animi inconstantiam reprehenderent: Appius Claudius, P. Crassus Mucianus, P. Mucius Scaevola, Qu. Metellus, quorum vero nemo quamvis reprehenderet, eandem rogationem tulit. — Qui olim anno 118 in favorem pauperiorum civium de colonia Narbonensi oraverat Lucius Crassus, mox transfuga in castra nobilitatis iustam causam deseruit [2]). — Nec extrema ausus est L. Marcius Philippus, lege agraria antiquata [3]).

Modesti profecto viri, qui vero temporum miseriis non subvenirent. Verum recte eos rem perspexisse apparet, qui non nisi summa vi et seditione ad finem perveniri posse putarent. Qui tamen natu minores, iuvenili impetu ac vi magis quam consilio ad rem publicam accedebant, viribus destituti peribant: Gracchi, Saturninus, Livius Drusus, Sulpicius Rufus. Nec ideo, quod res iis male evenit, putandum est eos sui ipsorum tantum commodi studiosos, imperitae et concitatae multitudini

---

[1]) Plut. Tib. Gr. 8. Conferendum est tamen de vera cognominis origine Cic. de finn. II. 8. 24; Lael. I. 1.

[2]) Cic. Brut. 43. 160; pro Clu. 51. 140. Quintil. VI. 3. 44.

[3]) Cic. de Off. II. 21. 73. Ita sibi persuasum habuisse videtur Philippus, experientia doctus, nullo modo legem agrariam ferri posse, ut unus omnium maxime Livio Druso resisteret, lege de coloniis deducendis lata (Cic. de or. I. 7. 20). Attamen ab Horatio (Epist. I. 7. 46) strenuus vir ac fortis nominatur.

iucundos esse voluisse; secundum suam quisque naturam ac indolem, studio boni et iustitiae incensus fuisse videtur. Singuli illi viri praeter Drusum, *una* tantum causa adducti, e nobilitatis castris ad plebem transfugisse memorantur; Tib. Gracchus, quod foedus Numantinum ab ipso Mancini nomine ictum, a senatu ruptum sit [1]; G. Gracchus morte Tiberii fratris incitatus; Saturninus, quod quaestor frumentaria procuratione a senatu amotus sit [2]; Sulpicius Rufus indigne ferens quod contra Norbanum causa ceciderit [3]. Hoc quidem, quod facto quodam impulsos, tales viros partes sibi elegisse memoratur, nec ratione et consilio, suspicionem movet; non enim convenit cum iis, quae de reliqua vita ac de moribus eorum memoriae sunt prodita.

---

[1]) Plut. Tib. Gr. 5.

[2]) Cic. de har. resp. 20. 43; pro Sext. 17. 39.

Lange l. c. III. p. 76 narrat Saturnino propter *malam* administrationem magistratum esse abrogatum; quod auctore Cicerone Mommsen, R. G. II. 198, negare videtur. — Animadvertendum est leges Appuleias modicas fuisse nec eum novas res ad suam ipsius utilitatem referre voluisse. Quod iure testatur Mommsen l.l. „L. Appuleius Saturninus, der selbst nach den Berichten seiner Feinde ein feuriger und eindringlicher Sprecher war und wenigstens nicht von gemein eigennützigen Motiven geleitet ward." Legem eius agrariam valde moderatam fuisse apparet ex eo, quod non nisi ager Gallicus, a Mario in Gallia Transpadana Cimbris ereptus, viritim divideretur. Cf. Lange l. c. p. 78. Quae lex si perlata esset, tota Italia conditione meliore esset usa; sociis enim partem agrorum tribui etiam iussit. — Vulgo lex illa reprehenditur additicia de iure iurando senatus. Falso tamen; nemo enim erat quin iniuriarum reminisceretur nobilitatis, Semproniis legibus latis, nec fides erat habenda illi factioni, quae specie iusti suum tantum commodum spectaret nec plebi omnino subveniret. Nec fugere quemquam potest legem Appuleiam de coloniis deducendis summa continentia esse latam. Quod tamen dici non potest de lege frumentaria, qua plebem captare Saturninus voluisse videtur. Cui laudi potius quam dedecori tribuendum est quod, iure legatorum laeso, eos quos Mithridates miserat ad senatum corrumpendum, maxime offenderit. (Diod. ed Tauchn. VI. p. 236). Nihil enim eo tempore a nobilitatis avaritia tutum erat. — Suspicamur hanc legem frumentariam Mario invisam fuisse, ratione habita eorum, quae tribunatu suo egerit.

[3]) Cf. Cic. de or. ed. Piderit, Einl. 1. 12.

Nulla profecto in tota Marii vita difficilior est res quam sexti consulatus descriptio. Quae nobis suppetit rerum expositio ex uno eodemque fonte haustam esse, admodum probabile est, Quo factum est ut in summis rerum inter se consentiant scriptores, nec igitur vera falsis opponere possimus. Et tamen sunt quae inter facta vulgo relata, videantur incredibilia. Quorum haec nomino:

1°. Narrant Plutarchus (Mar. 28) et Livius (Epit. 69) Marium consulatum per tribus sparsa pecunia emisse, Velleius contra II. 12. 6 veluti praemium meritorum nactum esse. Auctorem suum nominat Plutarchus Rutilium, privato odio contra Marium incensum. Omittamus in praesens iamdudum consuevisse Romanos largitionibus honores sibi parare, quae igitur res temporibus potius quam singulis viris est imputanda, tamen Marium, summum magistratum petentem, pecuniam spargere non opus fuisse videtur, quum ipsis illis temporibus plebi gratissimus fuerit.

2°. Camerinis civitas data invidiam plebeiorum hominum magis quam assensum movebat.

3°. Quod dicitur fuisse odium inter Metellum Mariumque nimis exaggeratum esse videtur. Vidimus enim anno superiore illos eandem viam secutos esse contra Equitium. Deinde iure potest dubitari an quintum consulatum unanimi optimates Mario mandaverint, siquidem capitali odio flagrabat in Metellum, nobilitatis principem. Nec certa desunt argumenta, quibus probatur huius anni res magnopere ab historicis perturbatas esse. Nemini enim hucusque contigit, ut quas leges quo anno tulerit Satur-

ninus, certo statueret [1]), nec omnino patet, quae ratio inter varios partium principes intercesserit. Metellus enim Saturnino et Glauciae potissimum adversabatur nec vero Mario [2]), cui post bellum Teutonicum παρ' ἑκόντων καὶ ὁμογνωμούντων consulatus quintus, aequitatis et iustitiae praemium, erat delatus. Ab *optimatibus* inimicitiae susceptae esse videntur. Periculo enim propulso, ut duobus annis ante nobiles sibi consulatum recuperare conabantur Metellumque collegam Mario sextum consuli adicere. Creabatur vero ignotus quidam homo, Valerius Flaccus, repulsam ferente Metello, nobilitatis propugnatore! Marium contendisse facile credimus ne Metellus crearetur. Haud enim immemor erat iniuriae, quam anno 107 ab eo acceperat, nec collega tam constans propositique tenax erat gratus. Quo factum est, ut nobiles consulatum obtinendi spe destituti, quoquo modo Mario resisterent. Populares viri contra ad suas partes hunc traducere studebant, quo adiutore omnia perficere posse sibi videbantur.

4⁰. Marium, lege Appuleia de iure iurando senatus perlata, se iuraturum esse negantem, hoc tantum spectasse contendit Plutarchus [3]), ut Metello insidias strueret [4]).

---

[1]) Cf. Mommsen, R. G. II. p. 200 annot. Accedit quod quo anno legati illi Mithridatis Romam venerint incertum est. Mommsen p. 198 annum 103 praefert, Lange III. p. 77 annum 101. Mommsen p. 179 legem Appuleiam de maiestate iure ponit anno 103, quae vulgo 100 lata esse dicitur. Annus 103 magis placet; historia enim Arausionis praecesserat nec omnino nomen Caepionis anno 100 memoratur.

[2]) Re vera Metellum et Saturninum singulari odio invicem se persecutos esse apparet ex App. B. C. I. 28. Cic. pro Sext. 47. 101. Val. Max. IX. 7. 2. Cf. Mommsen, R. G. II. p. 199.

[3]) Mar. 29.

[4]) Cf. App. B. C. I. 29 sqq. Vell. II. 15. Cic. pro Sext. 47. 101. Flor. III. 16. Liv. Epit. 69.

Quae expositio rerum eo inprimis falsa esse videtur, quod *omnes* nobiles praeter Metellum Marii sententiam secuti sunt. Nec cogitari potest M. Aem. Scaurum [1]), M. Antonium [2]), Qu. Lutatium Catulum, D. Iun. Brutum, Licinium Crassum, Ser. Galbam, G. Serranum, L. Philippum, P. Rutilium, G. Fimbriam [3]), omnesque qui tum erant senatores, plebeiorum partitus infestissimos, tam stultos fuisse et imprudentes, ut Mario opem ferrent contra Metellum! Marius quidem Appuleiis legibus favisse videtur nec tamen ei placuisse legem adici de iure iurando senatus [4]), nec frumentariam illam immodicam. Quae culpa quin postero tempore a Sullae amicis vel potius ab ipso Sulla, in Marium sit collata dubitari non potest; anno enim 100 mediis in civilibus turbis omnes fere nobiles cum Mario consentiebant.

5°. Odio si re vera contra Marium incensus fuerit populus ob res sexto consulatu gestas, quomodo absens in Asia augur publicus creari potuerit, non patet [5]).

Alia proferri possunt contra ea quae de Mario, sextum

---

[1]) Valerium Max. III. 2. 18 Scaurum pro Scaevola nominasse puto; quod enim dicit „ultima senectute confectum et paene dilapsum corpus induisse spiculoque innixum ante fores curiae constitisse" non Scaurum, verum Scaevolam spectare videtur. Cf. Cic. pro Rab. 7 21.

[2]) Ib. 9. 26. Rabirius tum extra urbem cum praesidio fuit.

[3]) Non confundendus est hic Fimbria cum illo Mariano, qui anno 85 legatus, duce L. Flacco necato, ipse sibi mortem conscivit. De altero cf. Cic. de Or. II. 22. 91; de Off. III. 19. 77 *consularis* nominatur.

[4]) Probat hanc sententiam App. B. C. I. 29 sqq. De ceteris fontibus vide infra. Ipsa lex apud Plut. Mar. 29 haec est: τὴν σύγκλητον ὀμόσαι προσελθοῦσαν, ἦ μὴν ἐμμενεῖν οἷς ἂν ὁ δῆμος ψηφίσαιτο, καὶ πρὸς μηδὲν ὑπεναντιώσεσθαι.

[5]) Cic. ad Brut. I. 5. 3. Repugnant haec Plutarchi verbis (Mar. 30) τοῖς τε δυνατοῖς ἅμα καὶ τῷ δήμῳ προσκεκρουκὼς τιμητείας παραπεσούσης, ἐπίδοξος ὤν, οὐ μετῆλθεν, ἀλλ' εἴασεν ἑτέρους ὑποδεεστέρους αἱρεθῆναι, δεδιὼς ἀποτυχεῖν.

consule, scripta sunt; redolet enim ex omnibus odium hostile. Apparet tamen ex ipso Plutarcho Saturninum eiusque socios, a Mario in curiam inclusos, a plebe et equitibus interfectos esse nec Marium datam fidem violasse [1]). Vulgo creditur Marium initio consulatus popularibus viris favisse, postea vero nefarie eos prodidisse. Ex iis, quae de rebus ab eo ante annum 100 gestis tradita sunt, satis apparet Marium nec plebis nec nobilitatis favorem nimis captasse; quod etiam de anno 100 dici posse videtur. Fac enim eum, consulatu sexto ineunte, omnibus viribus Saturnino opem ferre voluisse, quid est quod impediverit quominus militum suorum auxilio uteretur? „Eo nondum ventum erat, dicit Mommsen, ut milites de rei publicae salute decernerent" [2]). At Sulla decennio post, vi militari civitatem miscuit nec quid eo temporis spatio militum animos mutarit videmus. Requieverant enim inde ab anno 100 usque ad 90 omnes militares res, nec nisi privatis et publicis discordiis fuerat locus. — Neglectis popularibus partibus morem gessisse nobilitati dicitur Marius, prava ambitione impulsus. Quonam consilio? Num unquam optimatibus gratum se reddere acceptumque conatus est? Quod si voluisset, vitam sane mutasset Graecisque artibus et disciplinis operam dedisset, quibus neglectis, nemo ad nobilium numerum adscribebatur. Unde satis constare videtur Ap-

---

[1]) Mar. 30. Errat Plutarchus dicens: „ἐπεὶ δὲ παντοῖος γενόμενος ὑπὲρ τοῦ σῶσαι τοὺς ἄνδρας, οὐδὲν ὤνησεν, ἀλλὰ κατιόντες εἰς ἀγορὰν ἀνῃρέθησαν." Saturninum enim ab equitibus in curia interfectum esse complures scriptores testantur. E quibus nominare sufficit Cic. pro Rab. 6 sqq. Cf. App. I. 32 sqq.

[2]) Cf. Mommsen, p. 135.

puleiae seditionis expositionem, quemadmodum tradita est, fide dignam non esse; nec fieri potuit Marius quin mediam viam secutus, pace quam bello minor, publicis rebus removeretur. Ex eo tempore, itaque post sextum consulatum, capitali in nobilitatem odio flagrat Marius; ante annum enim 100 eum summis in rebus saepius nobilium socium se praestitisse vidimus; sexto vero consulatu peracto, utrique diversam viam ineunt. Quae postea, bellis civilibus, ab eo crudeliter facta sunt excusari non possunt nec excusantur; erant tamen viri ad extremum ab inimicis lacessiti. De singulis autem rebus, bello Marsico a Mario egregie gestis, nec de septimi consulatus petitione anno 90, disserere opus est, quia a Kienio in libro de bello sociali praeclare sunt exposita [1]). Hoc tantum liceat Q. Scaevolae auguris testimonium afferre, qui nullo Sullae voluntati obviam ire audente, truculentius, ut Marius hostis iudicaretur instantis [2]), „licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti ostentes, licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemque sanguinem meum Marium, a quo urbs et Italia conservata est, hostem iudicem!" [3])

---

[1]) p. 198 sqq. 240 sqq. Quem sequitur Smit, p. 103 sqq. 110 sqq.

[2]) Val. Max. III. 8. 5.

[3]) Quomodo falsi etiam nostro tempore rumores de Marii natura rebusque gestis dispergantur, liber testatur „Rome et Cicéron", par Dubois-Guchan, Paris 1880. Longum est enumerare omnia, quae falso de eius vita referuntur; sufficiant quae p. 34 leguntur: „Son insatiable ambition, son incurable soif d'honneurs et de pouvoir, était le vice le plus directement contraire aux moeurs de l'ancienne Rome; c'est que cet humble Arpinate, ébloui et comme étourdi de la merveille de son élévation, n'en comprenait plus les bornes, et mourait en repro-

Re vera G. Marius vir erat acer et fortis, cui fortuna belli saepius crimini dabatur, invidia vero nobilitatis calamitati fuit.

---

chant à la fortune, non de ne lui avoir pas assez donné, mais de ne lui avoir pas tout donné."

„Le pouvoir de Marius eut, dans l'ordre militaire, une fatale influence; il en corrompit l'esprit civique en inoculant à l'armée l'élément servile, puisqu'il fut le premier qui enrôla les esclaves comme des instruments dociles pour ses desseins. Dans l'ordre civil, ce fut pis encore: le consulat ne fut plus le patrimoine de la République, mais le sien; il le posséda contrairement aux lois et aux précédents, non moins respectés que les lois; il en fit trafic en l'achetant pour lui et pour tel collègue dont la nullité l'arrangeait; il l'ensanglanta par la mort de titulaires légitimes qui n'avaient que le tort de lui déplaire; son ambition malsaine en suscita plusieurs autres de son vivant; par ses cruautés il provoqua celles de Sylla; Rome enfin fut livrée à ses suppôts comme une nouvelle Sagonte, et l'on n'affirmerait pas, sans erreur, que ses services aient égalé ses méfaits."

DE IIS, QUI MARII AETATIS HISTORIAM SCRIPSERUNT.

Ingenium Marii et mores defendenti hoc mihi constat fere omnia quae de eo memoriae prodita sint, ex iniquis fontibus, inprimis e Sullae commentariis hausta esse. Itaque demonstrandum erit ex huius commentaris, aeque ac Catuli, Rutilii, aliorum, maiorem partem vitae, a Plutarcho conscriptae, oriundam esse. Quam rem aggressi sunt Heeren „ De fontibus et auctoritate vitarum parall. Plutarchi" et Peter in libro „ Die Quellen des Plutarchs." Quorum opus si nonnunquam reficiendum est, tamen quodammodo aut supplere aut redarguere conabor.

Qui Marii aetatis res scripserunt, superstites sunt: Sallustius, Livius, Velleius, Valerius Maximus, Florus, Eutropius, Orosius, Granius Licinianus, Aurelius Victor, Plutarchus, Appianus, Dio Cassius, Diodorus Siculus. Quibus accedunt Frontinus et Iulius Obsequens. Videndum igitur num inter se ita cohaereant illi scriptores, ut alius ex alio aut materiem sumpsisse aut uno eodemque auctore omnes usi esse videantur. Initium faciam a

Livio iisque qui ex huius libris excerpserunt, nec si de iis satis constat, congruentia memorabo, discrepantia vero breviter referam. Itaque a Livio dissidet Velleius, Marium equestri loco natum esse narrans [1]; deinde sextum consulatum veluti praemium ei meritorum esse datum eumque hoc consulatu summam laudem sibi peperisse [2]. Quae vero de Livii Drusi moribus et ingenio refert, desiderantur apud Livium, Florum et Orosium. Apud Valerium Maximum et Aurelium Victorem quae leguntur de incredibili Drusi crudelitate et animi superbia, non memorantur a Velleio [3]. Apparet ex iis, quae apud Velleium de legibus Liviis reperiuntur, eum harum rationem non recte perspexisse nimisque leviter rem attigisse. Legem enim agrariam prorsus omisit. Tum demum Drusi animum conversum esse narrat ad civitatem Italiae dandam, quum bene coepta male cederent. Senatum adversarium habuit non intellegentem: „si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandae inliciendaeque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis maiora permitteret." Quibus verbis quid sibi velit Velleius non patet, quoniam non nisi de lege iudiciaria sermo fit, quae profecto nihil multitudine concedebat. Quam legem ita exponit, quasi iudicia ad senatum ab equitibus transferre vellet Drusus, nec, ut Appianus dicit [4], ut trecenti senatores totidem equitibus adicerentur. Qui, ut mox videbimus, plane diversam rei praebet expositionem, a Liviana etiam dif-

---

[1] II. 12.
[2] Ib. Cf. Plut. Mar. 28. Liv. Epit. 69.
[3] Val. Max. IX 5. 2. Aurel. Victor. 66.
[4] B. C. I. 35.

ferentem. — Non ex omni parte consentit de morte P. Catonis, Velleius [1]) cum Appiano [2]) et Eutropio [3]), nec de Q. Pompeii cum Livio [4]), Valerio [5]), Appiano [6]). Ab Appiano differt numero tribuum, in quas novi cives recepti sunt; Velleius [7]) enim *octo* fuisse narrat, alter contra *decem* [8]). Quod fieri solet, ut in eadem re alii alium numerum proferant scriptores, in hoc saepius legentes incidimus. Velleius II 26 exempli causa, a Livio Epit. 86 discrepat memorans Marius VII consulis filius, quot annos natus consul sit factus; alter enim viginti sex, alter viginti annos profert; Appianus contra [9]) viginti septem. — Sullam in Italiam revectum, haud plura quam triginta armatorum milia Brundisii exposuisse testatur Velleius [10]), ad quadraginta milia Appianus [11]). Secundum Velleium [12]) Cinna Roma pulsus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est, secundum Appianum [13]) ἐς Καπύην τραπόμενος. Nec consentit inter Velleium ceterosque scriptores de morte Drusi et Gn. Pompeii neque de Merula magistratu amoto, nec de proeliis apud Collinam portam [14]). Addendum est quod, Velleio auctore [15]), Sul-

---

[1]) II. 16.
[2]) B. C. I. 50.
[3]) V. 3.
[4]) Epit. 77.
[5]) IX. 7 mil. 2.
[6]) B. C. I. 63. Cf. Wijnne, de fide et auct. App. p. 20.
[7]) II. 20.
[8]) B. C. I. 49. Cf. Wijnne l.c. Kiene p. 215 et p. 343 annot.
[9]) B. C. I. 87.
[10]) II. 24.
[11]) B. C. I. 79.
[12]) II. 20.
[13]) B. C. I. 65.
[14]) Vell. II. 14. 21. Cf. Wijnne l.c. p. 21. Drumann, IV. p. 323. 40.
[15]) II. 18.

picius Q. Pompeii consulis filium per emissarios factionis suae interfecit, Appiano auctore contra: κἀν τῷδε Πομπηίου τὸν υἱόν, κηδεύοντα τῷ Σύλλᾳ, παῤῥησιαζόμενόν τι καὶ λέγοντα κτείνουσιν οἱ τοῦ Σουλπικίου στρατιῶται [1]).

De Sulpicio plura sunt quae ab aliorum relatione discrepantia memorat Velleius. Dicit enim Sulpicium opibus, gratia, amicitiis celeberrimum fuisse. Quod non convenit cum Appiani verbis et Plutarchi [2]), rem ita exponentium, quasi Marius Sulpicium aere alieno oppressum, spe belli et divitiarum ad partes suas adduxerit. Ut perspiciatur quatenus dissentiant Velleius et Plutarchus [3]) de moribus et natura eius, satis est utriusque dicta in memoriam revocare: „P. Sulpicius tribunus plebis disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus." — ἄνθρωπος οὐδενὸς δεύτερος ἐν ταῖς ἄκραις κακίαις, ὥστε μὴ ζητεῖν, τίνος ἐστὶν ἑτέρου μοχθηρότερος, ἀλλὰ πρὸς τί μοχθηρότατος ἑαυτοῦ. — *Germanum* servum qui Marium interficeret missum esse refert Velleius [4]), probante Valerio [5]), Livio contra *Gallum* fuisse tradente [6]). Utrumque tamen memoria proditum est; Plutarchus enim ἀμφοτέρως ἱστορεῖται addit [7]). De Sulpicii morte non convenit inter Velleium Valeriumque [8]). Marius, Velleio teste, adsecutus circa Aenariam filium, cursum direxit in Africam (Vell. l.l.). Repugnant haec Appiani et Plu-

---

[1]) B. C. I. 56.
[2]) B. C. I. 55. Sulla 8.
[3]) Ib.
[4]) II. 19.
[5]) II 10. 6.
[6]) Epit: 77.
[7]) Mar. 39.
[8]) Vell. l.l. Val. Max. VI. 5. 7.

tarchi narrationi [1]), secundum quos Marius, filio relicto, cum Granio quodam ex Italia in Asiam transvehi in animo habebat. — Cinnam Marium de exilio revocasse putat Velleius [2]); ultro in patriam eum rediisse narrat Appianus [3]).

Videmus igitur pluribus locis Velleium differre ab Appiano et Valerio. Solebat quidem nimis neglegenter opus suum tractare, quod praesertim apparet ex Gaii Gracchi legum expositione, ex Liviana seditione et Sulpicia; adsunt etiam in hac parte Historiarum propria Velleiana, quae rhetorem redolent [4]); multa denique sunt quae ex omni parte congruunt cum iis quae in Epitomis leguntur Livii et cum Valerio, Orosio, Floro [5]) — tanta tamen est discrepantia, ut pro certo statui non possit, Velleium et Livium Marii aetatis res scribentes, semper ex eodem fonte hausisse [6]).

Valerium contra, etsi multa dicta et facta unde allata sint non liquet, tamen ex Livii Historiis sua de Marii aetate sumpsisse probabile est. Nemo mirabitur quod in tanta annorum paucitate et rerum, haud multa argumenta suppetunt, quibus illud probetur [7]); itaque brevi de ea re dicendum est. Comparandi sunt de morte L.

---

[1]) B. C. I. 62. Mar. 35.

[2]) II. 20 = Epit. 79.

[3]) B. C. I. 67 = Plut. Mar. 41.

[4]) Cf. II. 19. s. f.: „vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit, cum Marius aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio."

[5]) Cf. Vell. II. 19 cum Ep. 77. Val. Max. II. 10. 6 et II 26 cum Epit. 86; Ib. II. 27. cum Epit. 88.

[6]) Livium bis citat Velleius: I. 17. 2; II. 36. 3.

[7]) Semel tantum Livium citat Val. Max. I. 8. 19.

et G. Caesaris, M. Antonii, Q. Scaevolae, Val. Max. V. 3. 3; VIII. 9. 2; IX. 2. 2; IX. 10. 2, cum Epit 80 et 86. Quibus comparatis tamen concludatur necesse non est, alterum alteri materiem debere; accedunt vero alia, quae maiorem, etsi non verborum, tamen rei similitudinem habent [1]).

Val. Max. VI. 5. 7.	Epit. 77.
Ceterum cum eum proscriptum et in villa latentem a servo proditum comperisset, manu missum parricidam, ut fides edicti sui extaret, praecipitari protinus saxo Tarpeio cum illo scelere parto pileo iussit.	P. Sulpicius, quum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. Servus ut praemium promissum indici haberet, manu missus et ob scelus proditi domini de saxo deiectus est.
Ib. IX. 2. 1.	Epit. 88.
egregie namque auctoritate nobilitatis defensa, crudeliter totam urbem atque omnes Italiae partes civilis sanguinis fluminibus inundavit —, quattuor legiones contrariae partis, fidem suam secutas, in publica villa, nequiquam fallacis dexterae misericordiam implorantes, obtruncari iussit.	Reciperata re publica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo milia dediticiorum in villa publica trucidavit.

[1]) Cf. Oros. ed. Havercamp, p. 342.

Val. Max. ib.	Epit. ib.
Quinque milia Praedestinorum, spe salutis per P. Cethegum data, extra moenia municipii evocata, cum abiectis armis humi corpora prostravissent, interficienda protinusque per agros dispergenda curavit.	Urbem ac totam Italiam caedibus replevit, inter quas omnes Praenestinos inermes concidi iussit.
Val. Max. ib. [1]	Epit. ib.
Quam porro crudeliter se in M. Mario praetore gessit! quem, per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiae gentis protractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret et singulas corporis partes confringeret.	Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus praesectis et effossis oculis, necavit.

Quae cum pro brevitate epitomarum maxime inter se conveniant, tamen multa sunt, quae unde oriantur monstrari non potest. Apud ceteros non reperiuntur, quae narrantur de Sullae superstitione (I. 2. 3); de Mario victorias suas iactante (III. 6. 6); de Mario bello Africano moleste ferente delicatum quaestorem Sullam (VI. 9. 6); de Sulla repulsam ferente in petitione praeturae (VII. 5. 5); de privato Marii iudicio in causa G. Titinii Minturnensis (VIII. 2. 3); de quaestura Marii (VI. 9. 14.) —

[1]) Cf. Oros. p. 349 sqq.

Licet fortasse ex notis rebus ita concludere, ut Livio haec etiam debeat facta Valerius Maximus; pro certo tamen statui non potest, utrum ex Livio an ex alio scriptore res illas sumpserit.

Conferendi sunt Frontin. Strateg. II. 18. 12 et Flor. III. 3. 8.

Frontin.	Florus.
Flagitantibus suis aquam, digito hostem ostendens, illinc, inquit, petenda est.	Flagitante aquam exercitu, viri, inquit, estis: en illic habetis.

Orosium et Florum [1]) eodem fonte usos esse testetur unum hoc exemplum, non profecto quia testimonio opus est, sed ut genus scribendi manifestius appareat; de caedibus enim in Campis Raudiis:

Oros. V. 16.	Flor. III. 3. 17.
Mulieres eorum consuluere consulem ut, si inviolata castitate virginibus sacris ac diis serviendum esset, vitam sibi reservarent. Itaque cum petita non impetravissent, parvulis suis ad saxa collisis, cunctae sese ferro ac suspendio peremerunt.	Quum missa ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium non impetrassent (nec fas erat), suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo e crinibus suis facto, ab arboribus iugisque plaustrorum pependerunt.

[1]) Codicis Bambergensis inscriptio haec est: Iulii Flori Epitomae de Tito Livio bellorum omnium annorum DCC libri II.

Orosius multo accuratius et copiosius rem tractavit quam Florus, imprimis in seditione Appuleiana enarranda. Quorum imitandi studium multo facilius ostendi potest quam Eutropii, propter paucitatem huius fragmentorum aut brevitatem narrationis. De quo tamen satis est audire Suidam in voce Capito: Ἐπιτομὴ Εὐτροπίου ῥωμαιστὶ ἐπιτεμόντος Λίβιον τὸν Ῥωμαῖον.

Granium Licinianum post Sallustium historias suas composuisse testantur verba ipsius: „Sallusti opus nobis occurrit" [1]. Utrum ante Livium scripserit necne, sub iudice lis est. Probare vult Pertz in Praef. p. XV, nec tamen, ut videtur, satis firmo argumento. Ex eo enim, quod admodum durum habet stilum et incomptum, licet conici possit Licinianum post Livium opus confecisse, pro certo accipiendum non est. Addit ipse Pertz vigore eum et iucundidate impletum esse, quod e. g. ex belli Cimbrici narratione satis efficitur. Nec ideo quod post Livium aliter historiam conscribere solebant Romani, statui potest post hunc nullum annalium scriptorem fuisse. Contrariam sententiam probant imperatorum vitarum scriptores et ipse Tacitus [2]. — Ex iis potius, quae e Liciniani historiis comparavimus cum aliorum scriptis, *post* Livium vixisse videtur [3]. Consentit Licinianus cum Obsequente, ex Livii libris qui excerpta sumpsit:

Obseq. C. 102.	Licin. p. 32.
Trebulae Mutuscae antequam ludi committerentur,	Die quodam ante ludos qui futuri erant (in Sabinis)

[1]) Ed. Pertz, p. 44.
[2]) Cf. Teuffel l. c. p. 58 sqq.
[3]) Cf. Teuffel l. c. p. 359. 5.

canente tibicine angues nigri aram circumdederunt; desinente cantare dilapsi.

cum tibicines apud aram concinerent, angues nigri subito apparuerunt neque ante .... se occurrere et morsibus multos invadere desiverunt, quam tibicines conticuissent.

Val. Max. I. 5. 5. [1])

G. autem Mario observatio ominis procul dubio saluti fuit.... animadvertit enim asellum, cum ei pabulum obiceretur, neglecto eo ad aquam procurrentem .... a multitudine, quae ad opem ferendam confluxerat, impetravit ut ad mare perduceretur.

Licin. p. 35.

Auspicium et superiore casu Mario oblatum. Nam cum de conclavi fugiens barbarus apertum reliquisset, egressus videt asellum forte obiectis ei pabulis aquam petere. idem sibi praecipi ratus oraverat ut se ad mare deducerent.

Liv. Epit. 79. [2])

.... et cum victor spoliaret occisum, agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse se supra rogum transfodit.....

Licin. p. 37.

..... miles Pompei dum spoliat hostem ignobilis quidam fratrem agnovit. exstructo rogo dum iusta persolvit, multa precatus et imprecatus gladio se traiecit.....

Animadvertendum est portentum illud ex Livio sumere potuisse Licinianum, verum etiam ex annalibus maximis;

[1]) Cf. Plut. Mar. 38.
[2]) Cf. Oros. V. 19.

narratiunculam de fratre fratrem spoliante etiam apud Sisennam memoratam fuisse [1]). Sullae commentarios ipsos aut ex Livio aut ex Plutarcho ad opus conficiendum adhibuit, quod maxime ex belli Mithridatici historia ostendi potest, cum Plutarchi vita Sullae comparata [2]). Eundem fontem redolent quae de Gn. Pompeio referuntur:

Eutrop. V. 9.	Licin. p. 42.
Gn. etiam Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, quartum et XX annum agens de Africa triumphavit.	et Pompeius, annos natus XXV, eques Romanus, quod nemo antea, pro praetore ex Africa triumphavit.....
Epit. 89.	
Gn. Pompeius..... quattuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit.	
ib.	id. p. 43.
Mutilus..... ad posticas aedes Bastiae uxoris cum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret. itaque ipse se transfodit.....	Papius Mutilus inde fugiens, quum ne ab uxore quidem Bassia noctu Teani reciperetur, quod erat in proscriptorum numero, usus est pugionis auxilio.

Quibus accedunt multa pro parvis reliquiis, unde licet conicere de rebus Marianis aut iisdem fontibus ac Livium aut ipso Livio usum esse Licinianum.

[1]) Tac. Hist. III. 51.
[2]) Cf. Licin. p. 41, 42 cum Sulla 22. 23. 37; Pertz, Praef. XX.

Sequitur Appianus, qui quo modo Livio usus sit diligenter perscrutatus est Wijnne in libro saepius laudato. „Consensum, dicit ille [1]), adeo magnum in belli socialis et Mariani enarratione observavimus, ut Appianum ibi Livium fontem secutum esse vel ex iisdem cum Livio auctoribus sua sumpsisse arbitremur. Quem tamen consensum haud plane cognoscere sinit miserrima Livii librorum, illas rec tractantium, iactura. Epitomarum igitur ope pauca modo vestigia indagari possunt." Enumerat deinde plurima, quae a Livio quique ex huius Historiis excerpserunt, similiter sunt tradita, quibus exemplis adductus, Livium Appiano fontem extitisse statuit. Nonnulla addere liceat, minoris profecto momenti, haud tamen inutilia. Itaque similia, viro clarissimo auctore, traduntur: de Q. Servilii caede (Epit. 72. Flor. III. 18. App. 38. Oros. V. 18); de Aesernia capta (Epit. 72. 73. App. 41); de Nola colonia (Epit. 73. App. 42); de L. Caesare (Epit. 73. App. 42. Oros. V. 18); de Q. Caepionis morte (Epit. 73. App. 44. Eutr. V. 3); de libertis in militiam primum admissis (Epit. 74. App. 49); de Sulla Hirpinorum victore sqq. (Sisenna ap. Non. v. protinus. Diod. XXXVII. 2. Epit. 75. Plut. Sulla 6. App. 51. Aurelius Victor 75). Cui relationum similitudini accedit quod inter Livium et Appianum convenit de ordine rerum deque nomine belli, quod apud eos bellum sociale audit, ab aliis vero Marsicum [2]) vel Italiacum [3]) dicitur.

Bellum Marianum, cuius rerum ordo idem est apud

---

[1]) De App. fide p. 12 sqq.
[2]) Diod. XXXVII. 1. 2.
[3]) Vell. II. 15.

utrumque scriptorem, magna ex parte pariter a Livio commemoratum fuisse atque ab Appiano, multa exempla ex Epitomis sumpta testantur. Livio enim adsentit Appianus de causa belli Mariani [1]). Apud Livium Marius eadem oppida devastat, quae eum cepisse refert Appianus (Epit. 80. App. 69. Oros. V. 19). Sub finem belli Cinnam II et Marium VII consules creatos esse ambo memorant, quum alii aut Marium aut Cinnam solum nominent (Epit. 80. App. 75. Vell. II. 23. Plut. Mar. 45. Flor. III. 21. Aurel. Vict. 67. 69. Oros. V. 19). Copiose narrat Appianus cap 76, quae etiam Livius attingit Epit. 83.

Multa tamen Wijnne ostendit e Livio Appianum non contulisse; quae vero huc adferamus necesse non est [2]). Addi potest apud utrumque commemorari, Ostiam coloniam Marium expugnavisse et crudeliter diripuisse (Epit. 79. App. 67; cf. Flor. II. 9. Oros. V. 19. Licin. p. 36. Plut. Mar. 42); Cinnam et Marium cum Carbone et Sertorio Ianiculum occupasse (Epit. 80. Oros. l.l. Vell. II. 21. Licin. 37. App. 68). Haec vero sufficiant, nec rationes repetantur, quibus Livium Appiano haud multum profuisse ad bellum Sullanum exponendum Wijnne probat.

De lege Appuleia Appianum cum Livio satis convenire infra ostendere conabor. Sunt tamen quae ab Appiano solo enarrentur. Memorat enim praeter cives etiam

---

[1]) Epit. 77. App. 55. Plutarchus ab iis differt, Sulla 8, iniuria memorans legem Sulpicii de Marii imperio primis belli Mariani turbis ansam dedisse. Secuta est haec lex legem de iure suffragii, testibus Livio et Appiano. Cf. Wijnne, p. 13. Drumann, II. p. 436. 41. 42.; 437. 43. 44.

[2]) Cf. Wijnne, l. c. p. 14 sqq.

Italos, lege Appuleia, agros adepturos fuisse [1]. Eodem capite auxilium Latinos Marianis tulisse refert, lege agraria lata; P. Furium una cum Saturnino anno 100 tribunum factum esse cap. 33 legitur. Habet Ciceronem solum adsentientem, Metellum Saturninum et Glauciam e senatu pellere voluisse contendens, collega censore prohibente [2]; deinde Saturninum in animo habuisse Galliam Transpadanam a Mario subiectam dividere [3]. Differt Appianus a Cicerone et Valerio Maximo de accusatione P. Furii. Neglecta enim nominis mutatione [4], huc Appiani relatio redit, Furium ab Appuleio in ius vocatum esse, quod Metelli in patriam restitutioni resisteret, Ciceronis [5] contra et Valerii [6], quod queri ausus esset in contione de morte Saturnini. — Non licet ex exemplis allatis statuere Appianum Ciceronis scriptis usum esse; sunt enim multa quae ab altero omissa, ab altero uberius traduntur [7]. — Liviae leges varia ratione ab historicis expositae sunt. Ita enim Appianus rem exponit, ut ante omnia Italos civitate donare voluerit Drusus; quod inceptum ut perficeret, plebem lege agraria sibi devinxit, et iudiciaria lege senatui favit [8]. Quae expositio maxime probabilis est. Unum tantum remedium fuit turbatae rei publicae, saepius oblatum, semper autem

---

[1]) B. C. I. 30.

[2]) Ib. 28. Cic. pro Sest. 47. 101.

[3]) Ib. 29. Cic. pro Sest. 16. 37. Cf. Mommsen R. G. II. 200.

[4]) Appuleius Decianus tribunus falso ab Appiano Canuleius nominatur. Cf. Lange l. c. III. 86.

[5]) Pro Rab. 9. 24.

[6]) VIII. I. 2 (damn).

[7]) Cf. Wijnne l. c. p. 19.

[8]) B. C. 35.

reiectum, nempe ut sociis civitas daretur. Restiterant omnes ordines, plebeii homines, equites, nobilitas, quin etiam ipsi qui civitatem adipiscerentur, socii. Quam rerum conditionem minime ignorans, singulos ordines gratia obstringere voluit Drusus, quo facto propositum suum adsequeretur. Metuebant tamen Itali, „ὑπὲρ ὧν δὴ καὶ μάλιστα ὁ Δροῦσος ταῦτα ἐτέχναζε," ne suis agris privarentur [1]). Etrusci et Umbri eodem metu perculsi, adeo novae legi invidebant, ut in urbem profecti virum interficerent, qui ipsis salutem afferre voluerat. — Mommsen, admirabili ut solet dicendi vigore, contendit G. Marium post tantas victorias ad rem publicam accedere debuisse, ne spem suarum partium, quin etiam *totius populi* frustraretur [2]). Quae vox legentem semper me offendit, nec solum in Marii rebus verum etiam in Gracchorum, Livii Drusi, Sulpicii. Qui enim erat *populus Romanus* illis temporibus? Omnino non erat. Antiquus populus singulis ordinibus loco cesserat, nec cuiusdam rei consensus erat nisi studii sui et odii in adversarios. M. Livius Drusus sane huius rei haud ignarus erat; tamen quod antea tanti viri conati erant, ipse conatus est. Nobilitati favens in odium incidit equitum; civitate sociis promissa, quum plebem tum agrorum possessores offendit. Minor erat numerus eorum, qui patriae salutem spectarent, quam ut tyrannidem aut principatum a re publica defenderent. Quibus perpensis non facio cum iis, qui putant iustam legem Livii expositionem Appianum non dedisse, ut

---

[1]) B. C. 36.
[2]) R. G. II p. 191.

Kiene in egregio libro [1]); tamen negandum non est quaedam in Appiani relatione non optime se habere. Si enim trecenti equites adiecti essent totidem senatoribus, quibus sexcentis iudicia transferrentur, re vera iudicia senatui addicta essent, nec partim equitibus essent servata [2]). Quae vero Appianum latent dicentem: οἵ τε ἱππεῖς ὑπώπτευον ὅτι τῇδε τῇ θεραπείᾳ πρὸς τὸ μέλλον ἐς τὴν βουλὴν μόνην τὰ δικαστήρια ἀπὸ τῶν ἱππέων περιφέροιτο.

Aliam quam Appianus viam ingressus est Livius. Hic enim refert Livium Drusum eo socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitasse, ut maioribus viribus senatus causam susceptam tueretur [3]). Sullam haec indicant, qui nullo pacto rem ita exponere voluit, quasi *iusta* fuerit causa sociorum; unde *spe* tantum civitatis eos lusisse Drusum refert.

De Sulpicii rebus omnino non constat inter viros doctos. Multa enim sunt, quae a rerum scriptoribus aut plane diversa traduntur, aut studio partium inquinata, luce clara carent. Talia haec sunt. Num ita Sulpicius Mario erat addictus, ut magis illius quam suo ipsius arbitrio morem gereret? Quo consilio lex de exulibus revocandis lata est? Num illa, quae de libertinis et novis civibus in omnes tribus distribuendis ferebatur, perniciosa rei publicae erat habenda? — Sunt hae et aliae multae quaestiones admodum obscurae. Videamus quid

---

[1]) l. c. p. 163 sqq.

[2]) B. C. 35. Cf. Kiene l.l.

[3]) Epit. 71. Appianus igitur Drusum ante omnia Italos civitate donare, Livius contra, legibus latis, senatus causam maioribus viribus suscipere voluisse statuit. Velleius putat eum senatui pristinum decus restituere cupivisse, senatum vero adversarium habuisse, consilia eius non perspicientem.

hac de re Appianus memoret, quippe qui, quod ex parvis reliquiis statui potest, in Sulpicii rebus Livio fonte usus esse videtur. Qui apud Livium invenitur ordo legum probandus est: ut exules revocarentur et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur" [1]). De prima lege apud Appianum nihil legitur. Plutarchus ultimam memorat, omissis duabus prioribus [2]), qui tamen aliam, de senatorum aere alieno, Sulpicium tulisse narrat [3]). — Lex de exulibus revocandis varia ratione explicari potest. Statuentibus enim initio iam tribunatus sui Sulpicium nobilitatis adversarium fuisse, ita lex est accipienda, ut *equites*, Roma lege Varia expulsi, revocati sint; sin minus *optimates*. Posterior sententia plura habet quibus se commendet. Lex Varia enim de maiestate inprimis adversus nobilitatem lata erat; occisi sunt aut accusati G. Aurelius Cotta, Rutilium Rufum qui defenderat, Gn. Pompeius Strabo, Q. Pompeius Rufus, L. Memmius, M. Antonius, M. Aemilius Scaurus, princeps senatus nobilitatisque propugnator. Lange [4]) equitibus favisse Sulpicium putat, in quos, duobus annis post legem Variam, magna invidia erat orta. Quod unde appareat non liquet, nisi ex Varii ipsius nece. Nititur fortasse eius sententia auctoris ad Herennium loco, ubi legimus Sulpicium, qui intercesserat ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, posterius im-

[1]) Epit. 77. App. 55. 56.
[2]) Mar. 34. 35.
[3]) Sulla 8.
[4]) l. c. III. 122.

mutata voluntate, cum eandem legem ferret, aliam sese ferre dixisse, propter nominum commutationem: non enim *exules*, sed *vi eiectos* se reducere dixit [1]). Quid autem hoc sibi voluerit Cicero non patet. Aut iidem erant viri, sive exules nominabantur sive vi eiecti, aut non erant. Putandum tamen non est Sulpicium minimo temporis spatio ita consilium mutasse, ut quos revocari noluerit revocaret. Altera enim lex alteram statim secuta sit necesse est, quia haec prima fuerat Sulpici rogatio [2]). — Auctore Appiano Sulpicius consilium suum, nempe ut Mario imperium daret, non aperuit, nisi lege lata de novis civibus ac libertinis. Unde tamen non sequitur quod Kiene probare vult, Sulpicium suo Marte legem tulisse, nec ei hac de re cum Mario convenisse. Neque ex Appiani relatione apparet Sulpicii propositum non nisi lege de libertinis lata cognosci potuisse; potuit enim omnibus nota esse eius sententia, licet hanc non palam aperuisset. Attamen Kienio adsentiendum est Sulpicium urgente necessitate nec subito, ut putat Velleius, partes mutasse. Valde quidem probabile est Marium et Sulpicium inde ab initio tribunatus amicitia coniunctos fuisse. Uterque enim vir idem propositum persequebatur. Marium sociis et plebi favisse facile intellegitur, quem praeterea maxime stimulabant invidia Sullae, gloriam suam obtrectantis, et ipsius militaris animus, imperii capessendi cupidissimus. Patriam summis periculis liberarat, quum nemo alius consulatum petere ausus esset; validus mente

[1]) Auctor ad Herenn. II. 28. Cf. Gerlach, Marius und Sulla, p. 34. Kiene, l. c. p. 249 sqq.

[2]) Livius de *exulibus* tantum loquitur.

non minus quam corpore, quod rursus egregium ducem se praestare vellet, quid est quod mirere? [1]) Accedebat quod gloriam eius imminuere studebant optimates, Sullam Iugurthae victorem palam praedicantes. Statua a Boccho ne poneretur in foro ad eam rem celebrandam, non nisi bello sociali subito exorto prohibitum est [2]). — Sulpicium contra, auctoritate Gn. Pompeii Rufi adductum [3]), ad partes transiisse sociorum admodum probabile est. Videtur enim Pompeius, Magni pater, sociorum, inprimis Marsorum postulatis morem gessisse [4]). — Deinde odium optimatium magnopere excitavit, Caesari Straboni consulatum contra legem petenti resistens.

Cetera quae Sulpicium impulerint, ut plebis et sociorum partes sumeret, nimis obscura sunt. Hoc vero animadvertendum, ante tribunatum laudibus eum efferri, tribunatu vero occupato conviciis a Sullanis onerari. Unus Cicero, consuetudine eius usus, valde eum amat nec, ut ceteri, quod optimates prodiderit reprehendit. Poenam enim *temeritatis*, mortem, non sine magno rei publicae malo constitutam esse pronuntiat [5]). — Sulpicius quum semel viam novam iniisset, non potuit quin ad Marium se applicaret legemque de imperio eius ferret. Aequam fuisse legem de libertinis ac novis civibus neminem latet;

---

[1]) Plut. Mar. 33. 34. Falso Lange l. c. III. 116 hoc loco nititur et Valerio III. 6. 6. Repugnant enim quae Mar. 33. 34 (initio) leguntur iis, quae c. 34 dicta sunt, omnium vero maxime posterioris vitae factis.

[2]) Plut. Mar. 32.

[3]) Fuerat bello sociali Sulpicius legatus Pompei.

[4]) Cic. Phil. XII. 11. 27. Cf. Kiene, p. 252. Gerlach l. c. p. 39 perverse *Lucium* Pompeium Strabonem eum nominat.

[5]) De or. III. 3. 11.

necessariam vero eam fuisse probant quae proxime evenerunt. Ne Sulla quidem prohibere potuit, quominus civitas sociis daretur. — Ἀντισύγκλητον nomen, a Plutarcho Sulpicii amicorum cohorti datum [1]), unde captum sit prae se fert, nec apud alium scriptorem invenitur. Quae ab eodem memorantur de lege „nequis senator plus duo milia drachmarum aeris alieni haberet," magna fide digna non sunt. Semper enim ita rem exponit Plutarchus, quasi in omnibus legibus id agere voluerit Sulpicius, ut aere alieno liberaretur [2]); quae pecuniae inopia ab aliis confirmatur [3]). Efficitur tamen Sulpicium aere alieno oppressum, tali lege semet ipsum condemnaturum fuisse. — De fuga Sullae in Marii aedes certo certius Plutarchi fontes tacuissent, nisi ita vulgatum fuisset illud factum, ut negari non posset. Omnia vero intenduntur, ut quam minime in laudem Marii res narretur. Fingitur enim invitus, urgente turba, eo compulsus esse, nec ob auxilium a Mario latum quidquam huic debuisse. Quidquid id est, hoc profecto constat Sullam in Marii potestate fuisse salvumque esse dimissum. Operae pretium est comparare, quae Plutarchus de illa re inter se pugnantia referat [4]). Ut igitur complectamur quae hucusque dicta sunt: Appianus Appulei seditionem describens ita cum Livio consentit, ut ex eo hausisse videatur, quod etiam magna ex parte valet de Sulpiciis legibus, de bel-

[1]) Mar. 35. Sulla 8.
[2]) Sulla 8. Cf. Drum. II. 436. 37.
[3]) Epit. 77. App. I. 55. Flor. II. 9 6. Aurel. Vict. 67.
[4]) Mar. 35. Sulla 10.

lis sociali et Mariano [1]). De Liviis vero legibus certi quid statui non potest.

Auctor de viris illustribus num Livio usus sit, diiudicari non potest [2]). Sunt vero quaedam animadvertenda. Cum Floro bis adeo convenit, ut paene iisdem verbis utatur: de Livio Druso, professo nemini se ad largiendum praeter coelum et coenum reliquisse [3]); de pugnis apud Sacriportum et portam Collinam [4]). Qui Marium interficere conabatur servus, *Gallum* natione fuisse refert ut Livius, *Germanum* fuisse testantibus Velleio et Valerio [5]). Unus est qui praeter Plutarchum tradit Marium Bocchi monumenta ne ponerentur restitisse [6]). De morte Nonii et de L. Equitio (cuius nomen tamen non exhibet) cum Livio iisque qui hunc secuti sunt bene consentit [7]); cum Valerio [8]) facit narrans Scaurum Marium contra Saturninum et Glauciam armasse. Semel tantum, quod mihi quidem occurrit, rem memorat ab aliis praetermissam, nempe Saturnini occisi caput Rabirium quendam senatorem per convivia in ludibrium circumtulisse [9]). De Marii

---

[1]) Cf. Wijnne p. 16. 17.

[2]) Probabile est Aurelium Victorem, Marii aetatem describentem, Livium ipsum aut eos, qui ex huius Historiis excerpserunt secutum esse, quia vulgo eo usum esse constat. Cf. de Geer, de fontibus Plut. in vitis Gracchorum. L. B. 1878 p. 62. Vollgraff l c. p. 21. Hildesheimer contra: De libro qui inscribitur de viris illustribus urbis Romae quaestiones historicae. Berol. 1880 p. 17 sqq. auctorem d. v. i. minime Livio pro praecipuo fonte usum esse statuit. De Floro cf. p. 27, sqq.; de Valerio Maximo p. 42 sqq

[3]) Aurel. Vict. 67. Flor. III. 17.

[4]) Ib. 75. Flor. III. 21 Cf. Vell. II. 26. 27.

[5]) Ib. 67. Epit. 77. Vell. II 19. Val. Max. II. 10. 6.

[6]) Ib. 75.

[7]) Ib. 73.

[8]) Ib. 72. Val. III. 2. 18.

[9]) Ib. 73.

morte discedit ab illa relatione quasi morbo oppressus decesserit; narrat enim, ut Piso apud Plutarchum, eum sibi mortem conscivisse [1]).

De Marii ingenio et moribus quae apud Diodorum Siculum leguntur [2]), congruunt cum Plutarchi descriptione et Livii. Saturninum quaestorem male frumentaria procuratione functum esse narrat eamque in *alios* esse translatam [3]). Unus est qui memorat Saturninum legatos, a Mithridate Romam missos qui senatum corrumperent, summa iniuria affecisse. Quam ob rem capitis damnatus vix fuga morti se eripuit. Metelli filium patris revocationem a populo supplicasse tradens, dicit: περὶ τῆς τοῦ Μετέλλου φυγῆς ἐπ' ἔτη δύω γενομένων λόγων ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. Quod temporis spatium non congruit cum iis, quae referunt Orosius et Appianus [4]). De M. Livio Druso non nisi parvi momenti fragmentum extat. De bello civili quum ex Diodori libris parum novi nobis suppetat, tamen sunt quaedam proferenda. Diodorus (pag. 251 sqq.) non minus quam Plutarchus (Mar. 34. 35) Marium criminatur. Pag. 255 de morte Catuli maxime concinit cum Appiano B. C. c. 74 et Plutarcho Mar. c. 44. Marium sibi ipsum mortem conscivisse iniuria contendit. Fragmentorum paucitate impedimur, quominus certi quid de fontibus Diodori, Marianas res scribentis, statuamus. Hoc vero constat eum haud minore

[1]) Mar. 45.

[2]) Diod. Sic. ed. Tauchn. XXXIV p. 218 sqq.

[3]) Ib. p. 235. Scauro datam esse novimus ex Cic. de harusp. resp. 20 pro Sest. 17. 39. Cf. Mommsen, Röm. Alterth. II. p. 653.

[4]) Oros V. 17. App. B. C I. 33. Cf. Smit, l. c. p. 96 sqq.

quam Plutarchum odio in Marium incensum fuisse. Quod etiam valet de Dione Cassio huiusque fontibus; qui quid de Mario sentiat satis profitetur c. 89. 2 [1]). Ib. 3 Mario responsum a Metello datum convenit cum Plut. Mar. 8. Non ex omni parte concinunt de praedae divisione Teutonibus victis Dio Cass. c. 3 et Plut. Mar. 21. Accusatur Marius p. 137, c. 97. 3, quod Rutilium e civitate expulerit. Conveniunt Dio p. 141, c. 102. 7 et App. c. 68, Licin. l. c. p. 37, Plut. Mar. 42. Quae de Marii et Cinnae reditu leguntur ib. 102. 8, congruunt cum App. c. 72 [3]). — Ib. 12 „καὶ ἄλλον ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου κατεκρήμνισεν" cf. cum Liv. Ep. 80. — De Dione Cassio haec sufficiant.

---

[1]) Ed. Dind. p. 132

[2]) Dio Cass. p. 135 c. 94.

[3]) Discrepant tamen inter se Dio Cassius et Plut. Mar 43. Narrat enim ille legem de Mario in urbem recipiendo prius esse latam a Cinna, quam urbs occupata est Cf. Vell. II. 21.

DE PLUTARCHO MARII VITAE SCRIPTORE.

Plutarchus quibus fontibus sit usus, vitam Marii describens, nunc quaeratur. Antecedant vero quaedam necesse est. Latinos quidem fontes adiisse Plutarchum putat Heeren, ex Graecis tamen haurire maluisse [1]. Ita igitur, Heerenio auctore, Latinis scriptis usus est, ut quae illis continerentur cum Graecis conferret; nec ad ea sola confugit nisi quum Graeci fontes prorsus deessent. Quae tamen sententia e vita Marii probari non potest. Posidonium enim, quamvis vulgo princeps Plutarchi auctor habeatur, huic fontem extitisse propter paucitatem fragmentorum coargui non potest. Duobus locis eum nominat, cap. 1 et 45. Utrum vero quos nominatim adfert Plutarchus auctores re vera inspexerit necne, admodum dubium est, nec abest suspicio eum auctores suos consulto reticuisse. In universum iis, quae de Posidonio Plutarchi fonte Marii vitam describentis apud nostrae aetatis scriptores leguntur, parum proficitur. Alius alio

[1]) Heeren l. c. p 100.

niti videtur nec quisquam certi quid protulit. Peter enim scripsit: „Nun steht es aber fest, dass Appian sehr oft dem Posidonius gefolgt ist, ebenso, dass ihn Plutarch nicht nur sonst, sondern auch, wie er selbst sagt, in dieser Vita benutzt hat." Quae ut arguant proferuntur: Niebuhr Vortr. I. p. 60. 254; Kiene, Bundesgenossenkrieg p. 318; Wijnne l. c. p. 10. Loco autem allato Niebuhr Posidonium quidem praeter alios Plutarchi fontem nominat, nihil tamen addit quo hanc sententiam probet. Kiene l. l. haec scripsit: „*Nur als Vermuthung* will ich hier noch die Ansicht hinzufügen, dass jene erstere Darstellung.... dem Posidonius von Rhodus angehört sqq." Postremo Wijnne non negat Posidonio uti potuisse Plutarchum, verum addit: „in re incertissima id magis conicere quam firmis argumentis demonstrare licet." Unde facile patet ea, quae Peter dixit „nun steht es aber fest sqq." fide digna non esse. Initio vitae quae e Posidonio sumpta esse dicuntur, quamvis certo argumento probari non possit, ex opusculo quodam allata esse videntur, magis quam ex opere historico [1]). Scimus enim varias res eum tractasse [2]), nec veri simile est ea, quae c. I memorantur de nominibus Romanis, in opere continuo historico locum habuisse. Ultimam etiam partem vitae (c. 41—45), quae vulgo Posidonio adscribitur, Plutarchus utrum ex Historiis an ex opere alio quodam duxerit non constat. Tria sunt fragmenta, quorum illud

[1]) Bake, Posid. Rhodi rell. p. 169 testatur Romanam historiam totiusque rei publicae rationem, cum in privatis rebus tum in publicis, saepe Posidonium tractasse, vel aliud agentem attigisse.

[2]) Ib. p. 235 sqq.

de Athenis, ab Aristione occupatis, comparandi causa adhibeatur [1]). Athenio qui apud Posidonium nominatur, apud Plutarchum [2]) Aristionis nomen habet; quocum consentiunt Appianus [3]), Strabo [4]), Pausanias [5]). Saepius discrepat ab Appiano, qui in rebus Mithridaticis Posidonium auctorem habuisse vulgo creditur. Hic enim Athenionem Peripateticum appellat [6]), ille vero Epicureum [7]); memorat Appianus Mithridatem eum Athenas misisse [8]), addit Aristionem e civibus Atheniensibus alios interfecisse „ *ὡς ῥωμαΐζοντας,*" alios ad Mithridatem misisse; quarum rerum apud Posidonium nulla fit mentio. Convenit Livius cum Plutarcho de nomine tyranni, ut apparet ex Eutropio V. 6. — Cap. 2 Marii vitae nisi a Plutarcho ipso confectum sit, Posidonium habuisse auctorem Peter contendit. Tamen quae hic memorantur, non talia sunt ut certo duce opus fuerit. Refert enim Plutarchus quae ipse vidit, deinde de moribus rusticis Marii et ignorantia, quae neminem latebant [9]), postremo de Xenocrate addit, quae unde hauserit nihil refert.

Initio vitae Posidonius nominatur, in fine Posidonius

---

[1]) Athen. V. 211. cf. Bake l. c. p. 157. Müller Fragm. Hist. Graec. III. 250 sqq. Müller fragmentis inserens, quae Mar. 45 leguntur, probata fingit quae adhuc probanda sunt.

[2]) Sulla 12.

[3]) Mithr. 28.

[4]) IX. 398.

[5]) I. 20.

[6]) „ἐν τῇ Ἐρυμνέως τοῦ περιπατητικοῦ σχολῇ διέτριβε κ. τ. λ."

[7]) „σοφίαν τὴν Ἐπικούρειον ἠσκηκώς." P. Victorius, Var. Lect. XXV. 24 hunc dissensum ita conciliare studet, ut Appianum magis vitam eius et mores spectasse dicat; quod vero nihil habet quo commendetur. Cf. Bake, l. c. p. 166.

[8]) „συμπέμψας φυλακὴν τῶν χρημάτων ἐς δισχιλίους ἄνδρας."

[9]) Val. Max. I. 2. 3. Sall. Iug. 63. 3; ib. 85. Cic. pro Font. 15.

philosophus, nec ex tribus eiusdem nominis scriptoribus Alexandrino, Apamensi, Olbiano quis fuerit auctor indicatur. Nec Marii mortis narratio (Cap. 45) unde oriatur, constat. Adhibet Klebs [1]) Ciceronis locum (Divin. I. 30. 64): „Divinare morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert Rhodium quendam sex aequales nominasse et dixisse qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset." Fortasse Posidonius in eodem libro eoque philosophico, unde haec petita sunt, de Mario moribundo egit. Confirmat hanc sententiam additum nomen philosophi, alibi (cap. 1) omissum.

Quidquid id est, audiendi non sunt qui pro certo statuant, Plutarchum in Marii vita Posidonii Historiis usum esse. Ea enim, quae eo auctore memorantur, ex continuo opere historico prodiisse probabile non est. Nec abest suspicio ex ipso Posidonio in vita Marii conscribenda Plutarchum omnino non hausisse. Reputantibus enim, quanta neglegentia Plutarchus de fontibus suis loquatur, nulla fides indiciis eius est habenda, nisi aliunde probatis. Quod quum ex Heereni et Peteri investigationibus passim apparet, etiam ex sequentibus illustratur. Vitae Caesaris cap. 62 s. f. Cassium Brutum sibi adiungere studuisse legimus; privata enim odio flagrabat in Caesarem, cuius odii causa in Bruti vita iam erat aperta: „δι᾽ αἰτίας, ἃς ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γεγραμμένοις δεδηλώκαμεν." Ib. capite 68 de coniuratis, Caesare interfecto ex urbe recedentibus, haec memorantur: „Ἃ δὲ καὶ πράξαντες καὶ παθόντες ἐτελεύτησαν, ἐν τοῖς περὶ Βρούτου

---

[1]) De script. aetatis Sull. Berol. 1876. p. 61.

γέγραπται." In Bruti vero vita c. 9, quum sermo est de Caesaris adulatoribus populum incitantibus, ut eum regem pro dictatore crearent: „Τοὐναντίον δ'ἀπήντησεν, ὡ, ἐν τοῖς περὶ Καίσαρος ἀκριβῶς γέγραπται." Accedit quod vitae Thesei cap. 1 Plutarchus se post Lycurgi Numaeque, Romuli vitam conscripsisse testatur; Camilli vero vitam ante Numae compositam esse apparet ex Numa cap. 9, Romuli autem ante Camilli ex huius vita cap. 33. Itaque ordine posito haec proferuntur: Romulus, Camillus, Numa, Romulus [1]. Unde sequitur minima esse tribuenda Plutarcho, Mar. c. 10 dicenti Nemesin quandam Marium senem prosecutam esse, quippe cui Sulla gloriam ademerit Metello ademptam: Ὃν τρόπον δ'ἀφηγήσομαι βραχέως, ἐπεὶ τὰ καθ' ἕκαστα μᾶλλον ἐν τοῖς περὶ Σύλλα γέγραπται [2]. Duobus enim illis locis perpensis, quibus ipse sibi obloquitur scriptor, temere statuunt, qui Marii vitam ante Sullae scriptam esse contendant. Quae sententia re vera eo probatur, quod, loco Sullae vitae a Plutarcho laudato (c. 3), paullo tantum copiosius huius res narrantur [3]. — In Marii vita plurima sunt vestigia incuriae Plutarchi, auctores suos nominantis. Modo enim λέγουσι ait (c. 11, 12), modo τινὲς νομίζουσι (13. 21), τὸν Κάτλον αὐτὸν ἀπολο-

---

[1]) Theseus c. 1: „Ἐπεὶ δὲ τὸν περὶ Λυκούργου τοῦ νομοθέτου καὶ Νουμᾶ τοῦ βασιλέως λόγον ἐκδόντες ἐδοκοῦμεν οὐκ ἂν ἀλόγως τῷ Ῥωμύλῳ προσαναβῆναι, πλησίον τῶν χρόνων αὐτοῦ τῇ ἱστορίᾳ γεγονότες."

Numa c. 9. s. f. „ἔνιοι δὲ εἶναί τινα φασὶν ἀθέατα τοῖς ἄλλοις ἱερὰ κρυπτόμενα, περὶ ὧν ὅσα καὶ πυθέσθαι καὶ φράσαι θεμιτὸν, ἐν τῷ Καμίλλου βίῳ γέγραπται."

Camillus c. 33 s. f. „ὁ δὲ Ῥωμύλος ἠφανίσθη δημηγορῶν περὶ τὸ τῆς Αἰγὸς ἕλος προσαγορευόμενον, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκεῖνον γέγραπται."

[2]) Cf. Klebs l. l. p. 45. Kremer: Inquisitio in consilium et modum, quo Plut. scripsit vitas parall Groningae 1841 p. 5.

[3]) Vollgraff l. l. p. 6 iniuria igitur nititur Vitae Fabii capite 19, statuens Marcelli vitam ante Fabii esse compositam.

γεῖσθαι ἱστοροῦσι (25. 26), Γάϊος δέ τις Πείσων ἱστορεῖ (c. 45). Alexandrum Mundonem auctorem adhibet, cuius libros inspexerit necne valde dubium est. Nec de Catulo quidquam constat. Potuit sane huius liber de consulatu multa suppeditare Plutarcho, qui tamen, ut ipse adfirmat, ex alio quodam relata sumpsit. Ex solis Sullae commentariis quominus ea mutuatus sit, obstant laudes Mario tributae. Eutropius unus ita cum Plutarcho consentit, ut Catulum felicius pugnasse quam Marium referat; cuius verba magna ex parte cum Plutarchi verbis concinunt [1]). Unde conici licet Livium, pugnam apud Vercellas describentem, ex Catulo quaedam hausisse, quamquam mirum videtur nec apud Orosium nec apud Florum, copiose rem tractantes, similia inveniri. Polyaenus maxime cum Plutarcho consentit, unde Smit putat eundem auctorem ab utroque prolatum esse. Potest profecto; contrarium vero accipere nihil vetat; potuit enim Polyaenus ex ipso Plutarcho sua sumere [2]).

Livium primarium fontem fuisse Plutarcho maxime probabile esse videtur, aliis vero libris, inprimis Sullae commentariis, adhibitis. Heeren pro certo quidem statuit [3]), Plutarchum Latinos fontes adiisse ac diligenter inspexisse, ex Graecis vero haurire maluisse. Ita enim, ut dictum est, Latinis scriptis usum esse putat, ut quae illa continerent cum Graecorum libris conferret; nec ad illa sola confugisse nisi Graecis fontibus plane deficientibus. Quam sententiam probat Vollgraff l. c. p. 1, 16;

[1]) Cf. Eutrop. V. 2 cum Mar. 27.

[2]) Cf. Teuffel, R. L. p. 848.

[3]) l. c p. 100; cf. Vollgraff l. c. p. 69.

69. Hic autem facile concedens monstari non posse, quibus Graecis fontibus Plutarchus usus sit, in memoriam revocat Nicolaum Damascenum et Iubam Maurum, Plutarcho notissimos scriptores [1]. Accurate legentes quae de Iuba, Historiae Romanae scriptore, a viro doctissimo maxime probabilia sunt prolata, fugere non potest nihil certi ex iis profluere ad Plutarchi, Marii vitae scriptoris, fontes illustrandos. — Constat vero Plutarchum saepius, neglectis Graecis fontibus, ex Livio hausisse, veluti in vita Camilli [2] et fortasse in vita Fabii [3].

Cap. 3-7; 11-24 magna ex parte ex Livii Historiis esse allata recte suspicatur Peter, negante Heerenio, qui Posidonio ea tribuit. Multa enim sunt, quae Livium auctorem indicant. Enumerentur loci, quibus haec sententia probetur. Cap. 3: Διὸ ταῖς τ'ἄλλαις κ. τ. λ. = Val. Max. VIII. 15. 7 [4]. — Cap. 5: Μάλιστα δ'ὑποψίαν παρέσχε κ. τ. λ. = Val. Max. VI. 9. 14. — Cap. 12: Μετὰ δὲ τὴν πομπήν κ. τ. λ. = Dio Cass. XLVIII. 4. 5, Liv. Epit. 67: „Marium triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat." — Cap. 14: Θρυπτομένου δὲ τοῦ Μαρίου = Liv. Epit. 67: *dissimulanter* captans. — Cap. 17: Καὶ γάρ τινα Σύραν γυναῖκα κ. τ. λ. = Val. Max. I. 2. 4. — Ib.: Τὸ δὲ περὶ τοὺς γύπας θαύματος ἄξιον κ. τ. λ. = Plin. H. N. II. 18: „Armorum crepitus et turbae sonitus auditos a coelo,

[1] l. c. p. 70 sqq.

[2] Ib. p. 4.

[3] Mnemos. Nov. Ser. VI. p. 159. Cf. Vollgraff. l. c. p. 5, 29, 34. Cuius vitae fons licet Livius ipse non fuerit, tamen *Latine* quin scriptus fuerit dubitari non potest. — De Livio Plutarchi auctore cf. Peter l. c. passim.

[4] Smit l. c. p. 17 pro ὑπερκατακειμένου recte legit ὑποκατακειμένου.

Cimbricis bellis, accepimus crebroque et prius et postea; tertio vero consulatu Marii ab Amerinis et Tudertibus spectata arma coelestia ab ortu occasuque inter se concurrentia pulsis, quae ab occasu erant." Obseq. c. 103: „ G. Mario, G. Flacco coss.... arma coelestia.... ab ortu et occasu visa pugnare et ab occasu vinci." — Ib. Περὶ τοῦτον δέ πως τὸν χρόνον κ. τ. λ. cf. Diod. Sic. fr. XXXI. p. 235 ed. Tauchn. VI, qui vero multo copiosius rem tractat. Plutarchus et Diodorus, singulis verbis minime conveniunt. — Cap. 18: Ἐπορεύοντο δ' ἔγγυς, πυνθανόμενοι τῶν Ῥωμαίων μετὰ γέλωτος, εἴ τι πρὸς τὰς γυναῖκας ἐπιστέλλοιεν· αὐτοὶ γὰρ ἔσεσθαι ταχέως παρ' αὐταῖς. = Flor. III. 3. 6: „ Recessere igitur increpantes, et (tanta erat capiendae urbis fiducia) consulentes, si quid ad uxores suas mandarent." Ib.: Πολλῶν γέ τοι δυσχεραινόντων καὶ διψήσειν λεγόντων, δείξας τῇ χειρὶ ποταμόν τινα ῥέοντα πλησίον τοῦ βαρβαρικοῦ χάρακος, ἐκεῖθεν αὐτοὺς ἔφησεν εἶναι τὸ ποτὸν ὤνιον αἵματος. Cf. Front. Strateg. II. 8. 12. Flor. III. 3. Oros. V. 16. — Cap. 20: Ἐν τούτῳ δὲ Μάριος κ. τ. λ. comparandum est cum Polyaeno VIII. 10. 2 et Front. II. 4. 6.

Itaque cap. 3—7, 11—24 multa praebent, de quibus miro modo convenit inter Livium et Plutarchum. Sunt profecto alia, quibus dissentiunt inter se, imprimis bellum Teutonicum describentes. Talia sunt: c. 13 de mulis Marianis, cuius rei haud probabilem Plutarchus dat expositionem; comparandi sunt Festus p. 24; 148 et Front. Strateg. IV. 1. 7. Deinde c. 21 non consentit cum Front. II. 9. 1 de iis quae post proelium apud Aquas Sextias nocturno tempore acciderunt — nec de die constat quo iterum pugnatum sit (cf. Oros. V.

16 [1]). Parum curasse videntur scriptores bellicarum rerum aetate illa, ut accurate rem suam perficerent. Quod de Iugurthino bello ostendi potest, de pugnis adversus Teutones [2]), de Catuli cladibus, de proelio in Campis Raudiis, quin etiam de Mithridaticis bellis, quippe quorum memoria ex certioribus fontibus ducta ad nos pervenit. Quod fortasse inde ortum est, quod temporibus illis multo magis intestinae res mentes animosque captarent quam bella quamvis periculosa. Nec explicari potest quae fuerit causa dissensionis inter varios scriptores, res Teutonicas enarrantium, nisi summa in hac re incuria et neglegentia. Sulla enim in commentariis pugnam apud Aquas Sextias, cui ipse non interfuerat, copiose tractasse non putandus est, nec Catulus, qui vita sua laudes potius suas, bello Cimbrico meritas, quam Marii res memoriae prodidit. Itaque haud improbabile esse videtur Livium, quae de illo bello scripserit, ex Posidonio hausisse. Inter eos qui ex huius libris excerpserunt, Florum et Orosium, non semper convenit, nec mirum; alter enim cuiusque generis flosculis et figuris est refertus, alter nimia levitate fontibus suis, imprimis Livio usus est [3]). Frontini στρατηγηματικῶν liber secundus, unde praesertim exempla allata cum Mar. c. 11—24 comparanda sunt, multis interpolationibus et mendis est inquinatus [4]). Quo fit ut, quae ex illis militaribus rebus Plutarchus a ceteris discre-

---

[1]) Cf. Smit, l. c. p. 47. 63.

[2]) Confunduntur nomina Ambronum et Teutonum, nec dilucida est rerum apud Aquas Sextias gestarum expositio. Cf. Plut. Mar. 21. Oros. V. 16. Eutrop. V. 1.

[3]) Cf. Köhler: Qua ratione Livii annalibus usus sit Orosius p. 42 sqq.

[4]) Cf. Teuffel, R. L. p. 327. 5.

pantia memoret, probare non possunt eum Livium secutum non esse. Posidonium ei fontem fuisse nullo *certo* indicio ostendi potest [1]).

Multum tamen abest ut solus Livius Plutarcho, capita 3—7 et 11—24 conscribenti auctor extiterit. Ex Sullae enim scriptis quaedam hausisse Plutarchum satis apparet ex c. 18: „Οἱ δὲ Τεύτονες ἐπεχείρησαν μὲν, ἡσυχάζοντος τοῦ Μαρίου, πολιορκεῖν τὸ στρατόπεδον, βέλεσι δὲ πολλοῖς ἐντυχόντες ἀπὸ τοῦ χάρακος φερομένοις, καί τινας ἐξ αὐτῶν ἀποβαλόντες, ἔγνωσαν εἰς τοὔμπροσθεν χωρεῖν, ὡς ὑπερβαλοῦντες ἀδεῶς τὰς Ἄλπεις." Livius contra Epit. 68 „G. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit." Oros. V. 16: Teutones postquam continuo triduo circa Romanorum castra pugnarunt.... Italiam petere destinarunt" [2]). — Solebat Plutarchus, praeter ducem suum principem, aliis scriptoribus ita uti, ut ex his singulas res vitis insereret, cuius rei praeter alia, testimonii loco adsunt quae in Camilli vita ex Dionysio sumpsit, in Fabii ex Fabii Pictoris annalibus [3]).

De cap. 24—28 Peter: „Etwas günstiger stellt Plutarch den Marius in der Schlacht met den Cimbern dar, in welcher auch Sulla mitkämpfte. Dazwischen hat er aber einige Bemerkungen, wie er selbst sagt, aus Sulla (c. 25. 26) eingeschoben, die wieder entschieden darauf berechnet sind, das Verdienst des Marius zu

[1]) Smit l. c. p. 67 Plutarchum Posidonium ante oculos habuisse putat in iis, quae de rebus gestis anno 102 a Plutarcho commemorantur. Quod non convenit cum verbis eius p. 54 de militum querelis, quippe quae *Livianum genus sapere* ei videntur.

[2]) Cf. Smit, l. c. p. 56.

[3]) Cf. Vollgraff, l. c. p. 4. 29.

schmälern und den Catulus zu heben." Huius rei argumento utitur quod Marius hoc tantum spectaverit, ut Catulum obtrectaret sibique soli gloriam vindicaret (c. 26). Quo factum est, ut „πρᾶγμα νεμεσητόν" teste Sulla passus sit. „Κονιορτοῦ γὰρ ἀρθέντος, οἷον εἰκός, ἀπλέτου καὶ τῶν στρατοπέδων ἀποκεκρυμμένων, ἐκεῖνον μέν, ὡς τὸ πρῶτον ὥρμησε πρὸς τὴν δίωξιν, ἐπισπασάμενον τὴν δύναμιν, ἀστοχῆσαι τῶν πολεμίων, καὶ παρενεχθέντα τῆς φάλαγγος ἐν τῷ πεδίῳ, διαφέρεσθαι πολὺν ἤδη χρόνον". Equidem quum Livium tum Sullam Plutarchum secutum esse arbitror, ita vero ut, aeque ac in proeliis apud Aquas Sextias, Livium primarium fontem adhibuerit. Quorum testimonia haec sunt: c. 27 inde a verbis: Αἱ γὰρ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν μελανείμονες ἐφεστῶσαι cum Orosio et Floro l. l. optime congruit; deinde eodem capite: Μίαν δέ φασιν ἐξ ἄκρου ῥυμοῦ κρεμαμένην, τὰ παιδία τῶν αὐτῆς σφυρῶν ἀφημμένα βρόχοις ἑκατέρωθεν ἠρτῆσθαι, cf. cum Orosio „Inventa est etiam quaedam, quae duos filios, traiectis per colla eorum laqueis, ad suos pedes vinxerit et, cum se ipsam suspendio morituram dimisisset, secum traxerit occidendos." Optime porro consentiunt Plutarchus: Τὰ μὲν οὖν χρήματα διήρπασαν οἱ Μαρίου στρατιῶται, τὰ δὲ λάφυρα καὶ τὰς σημαίας καὶ τὰς σάλπιγγας εἰς τὸ Κάτλου στρατόπεδον ἀνενεχθῆναι λέγουσιν· et Eutropius V. 2: „Iterum a G. Mario et Q. Catulo contra eos dimicatum est, sed a Catuli parte felicius........ Tria et triginta Cimbris signa sublata sunt. Ex his exercitus Marii duo reportavit, Catuli exercitus triginta et unum." Nec profecto laudes neglegendae sunt Mario tributae, quas Plutarchum e Sullae commentariis hausisse nemo facile contendet. Qua in re minime discrepat a Livio Epit. 68

et Val. Max. VIII. 15. 7. — De triumphis a senatu decretis cf Liv. Epit. 68, Val. Max. IX. 12. 4, Eutrop. V. 2. Itaque Livium secutum esse Plutarchum ex locis allatis satis patet. Ipsas vero militares res apud Vercellas gestas ita exposuit, ut a Livii descriptione magnopere differant. Multo enim probabiliora sunt, quae apud Florum [1]) et Orosium leguntur [2]). Patet ex ea narratione, quam neglegenter Plutarchus interdum opus suum confecerit. Non enim perspicue rem illustrat, verum adeo obscurus est, ut non nisi aliis scriptoribus adhibitis, quae illo proelio acciderint, mente comprehendamus. De loco, quo pugnatum sit, Plutarchus a Livio discedit; hic enim ad Veronam, ille ad Vercellas proelium factum esse refert. Quae etiam discrepantia diversis fontibus utrumque usum esse arguit [3]). Neque quae de triumphis a senatu decretis per ironiam addit, a Sullano ingenio abhorrent. Dicit enim c. 27: Οὐ μὴν ἐθριάμβευσεν οὕτως, ἀλλὰ μετὰ τοῦ Κάτλου, μέτριον ἐπὶ τηλικαύταις εὐτυχίαις βουλόμενος κατέχειν ἑαυτόν· ἔτι δὲ καὶ τοὺς στρατιώτας φοβηθεὶς παρεσκευασμένους, εἰ Κάτλος ἀπείργοιτο τῆς τιμῆς, μηδ᾽ ἐκεῖνον ἐᾶν θριαμβεύειν.

Cap. 7—11 de bello Jugurthino scripta sunt. De his Pe-

---

[1]) Flor. III. 3. 15.

[2]) Oros. V. 16.

[3]) De numero caesorum et captivorum non plane convenit inter scriptores (cf. Smit l. c. p. 82. 83). Livius, Velleius, Eutropius, Orosius cum Plutarcho consentiunt; Florus autem ab iis discedit. Cui rei tamen non multum tribuendum est. Raro enim de numeris scriptores consentiunt. Cf. Mar. 28 ubi legitur inter primum et novissimum Corvini consulatum annos quadraginta quinque intercessisse; Cic. autem de senect. XVII. 60 et Plin. H. N. VII. 158 quadraginta sex, Val. VIII. 13. 7 quadraginta septem annos interfuisse memorat. Errant tamen omnes. Cf. Smit, p. 90. Interfuerunt enim, ut ex fastis consularibus patet, anni quadraginta *octo*. Primum consul fuit a. 348; a. 299 Valerius suffectus T. Manlio Torquato sextum gessit consulatum.

ter: „In völlig verschiedener Weise hat Sallust den Marius aufgefasst; mehreres, was wir bei Plutarch lesen, ist ihm ganz übergangen, wie namentlich jene Verurtheilung des Turpilius, sodass also Sallust keinesfalls die Hauptquelle Plutarchs sein kann. Denn dieser im Ganzen so durchaus abweichenden Darstellungsweise gegenüber ist es ohne Belang, wenn bei der Erzählung van geschichtlichen Thatsachen Einzelnes übereinstimmt, z. B. Plut. c. 8 und Sall. 64 (der höhnende Ausspruch des Metellus, als er von der Bewerbung des M. um das Consulat hört), Plut. c. 8 und Sall. 63 (glückverheissende Prophezeiung des Sehers), Plut. c. 8 (9?) und Sall. 84 (Zusammenstellung des marianischen Heeres). Rectissime Peter inde concludit Plutarchum Sallustium auctorem adhibere non potuisse. Unde tamen non sequitur utrumque non ex eodem fonte sua hausisse. Livium enim et Sallustium Sullae, Scauri, Rutilii commentarios et Sisennae Historias duces habuisse admodum probabile est. Diverso autem in re publica administranda consilio usi sunt Plutarchus et Sallustius, quo factum est ut varia ratione ex fontibus sua eligerent. Itaque fortasse hanc viam, bellum Iugurthinum tractans, iniit Plutarchus: secutus est, ut in ceteris de quibus disputabatur capitibus, Livium tamquam principem fontem, quum tamen Sullae commentarios etiam hic ad manum haberet. Sunt enim quaedam, nec ea historica facta (geschichtliche Thatsachen), quae ad eundem fontem reducantur necesse est. Talia sunt imprimis:

Plut. c. 9.	Sall. c. 84.
Οὐ μὴν ταῦτά γε μάλιστα διέβαλλε τὸν Μάριον, ἀλλ' οἱ	... dictitare sese consulatum ex victis illis spolia ce-

λογοι, θρασεῖς ὄντες ὑπεροψίᾳ καὶ ὕβρει, τοὺς πρώτους ἐλύπουν, σκῦλόν τε βοῶντος αὐτοῦ τὴν ὑπατείαν φέρεσθαι τῆς τῶν εὐγενῶν καὶ πλουσίων μαλακίας, καὶ τραύμασιν οἰκείοις πρὸς τὸν δῆμον, οὐ μνήμασι νεκρῶν, οὐδ' ἀλλοτρίαις εἰκόσι νεανιεύεσθαι. Πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ἀτυχήσαντας ἐν Λιβύῃ στρατηγούς, τοῦτο μὲν Βηστιάν, τοῦτο δ' Ἀλβῖνον . . . . . ὀνομάζων, ἐπυνθάνετο τῶν παρόντων εἰ μὴ καὶ τοὺς ἐκείνων οἴονται προγόνους αὐτῷ μᾶλλον ἂν εὔξασθαι παραπλησίους ἐκγόνους ἀπολιπεῖν, ἅτε δὴ μηδ' αὐτοὺς δι' εὐγένειαν, ἀλλ' ἀπ' ἀρετῆς καὶ καλῶν ἔργων ἐνδόξους γενομένους.

pisse. C. 85. 29: Non possum fidei causa imagines, neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare; at si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; praeterea cicatrices adverso corpore. C. 85. 16: Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri possit, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optimos voluisse?

Nemo est quin videat haec ita convenire, ut ex eodem fonte hausta sint. Nec temere iudicare mihi videor statuens Plutarchum ea sumpsisse ex Livio, cuius ingenii erat eiusmodi orationes annalibus suis inserere. Veri simile enim non est Sullam in commentariis de vita *sua* tam copiose de *Marii* orationibus disseruisse. — Consentiunt porro de Rutilio Sallustius Iug. c. 67. 69 et Appianus Num. fr. 2; de Gauda Sall. c. 65 et Dio Cass. 80. 4. Ex eo quod diverso consilio opus conficiebant Plutarchus et Sallustius, facile patet hunc maiore quam illum prolixitate res adversus Iugurtham gestas descrip-

sisse. Quod vero ante omnia statuendum est de rebus a Mario, Metelli legato, gestis, a Plutarcho non nisi breviter narratis. Silet idem de Manlii Mancini rogatione, a Sall. c. 86 et Vell. II. 1 relata. A Sallustio differt Plutarchus de Rutilio et de Marii novo delectu exercitus. Consentiunt enim omnes praeter Plutarchum (c. 9), non nisi capite censos eum scripsisse [1]. Nec conveniunt quae de Sulla et Boccho leguntur Plut. Mar. c. 10 et Sall. Iug. c. 102. — Quibus inter se collatis statuendum est praeter Livium Sullae quoque commentarios fontem adhibuisse Plutarchum. Qnod maxime indicant res aut silentio praetermissae aut ab eo solo memoratae.

Capita 28—36, a Marii sexto consulatu usque ad Sulpiciam legem de imperio Marii latam, ob eandem causam ex Sullae commentariis magna ex parte fluxerunt. Ut in superioribus capitibus sic etiam in his saepissime ita consentiunt Livius et Plutarchus, ut veri simile sit hunc illum ad manum semper habuisse, ne a Sulla destituto certus auctor sibi deesset. Appianus iisdem fontibus usus esse videtur; videbimus enim huius rerum expositionem in universum cum Plutarchi convenire. — C. 28: „Τῆς δὲ ἕκτης (ὑπατείας) ὡς οὐδ' εἷς πρώτης, ὠρέγετο, θεραπείαις τὸν δῆμον ἀναλαμβάνων, καὶ πρὸς χάριν ἐνδιδοὺς τοῖς πολλοῖς, οὐ μόνον παρὰ τὸν ὄγκον καὶ τὸ κοινὸν ἀξίωμα τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν κ. τ. λ." Vell. II. 12: „sextus consulatus veluti praemium ei meritorum datus." Eodem capite de Camertium cohortibus civitate donatis consentit Plutarchus cum Val. Max. V. 2. 8. Teste

[1]) Cf. Sall. Iug. 86. Florus III. 1. 13. Val. Max. II. 3. 1.

Rutilio sextum consulatum emit Marius; dicit enim Plutarchus eo auctore: „ἀργύριον εἰς τὰς φυλὰς καταβαλὼν πολύ," quod miro modo convenit cum Livii Epit. 69: „per tribus sparsa pecunia." De Nonio a Saturnino caeso haec sunt memorata: App. [1]) „ὁ Γλαυκίας καὶ ὁ Ἀπουλήιος .... ὄχλον ἀνδρῶν ἐπιπέμπουσι." Plut. [2]) „Καὶ μάλιστα περὶ τὴν τελευταίαν ἐφθονεῖτο πολλὰ συνεξαμαρτάνων τοῖς περὶ τὸν Σατορνῖνον, ὧν ἦν καὶ ὁ Νονίου φόνος, ὃν ἀντιπαραγγέλλοντα δημαρχίαν ἀπέσφαξεν ὁ Σατορνῖνος." Liv. [3]): „L. Apuleius Saturninus *adiuvante Mario*, et per milites occiso A. Nonio competitore, tr. pl. per vim creatus sqq." Florus [4]): „occiso palam Annio competitore tribunatus." Orosius [5]): „A Nonium deinde competitorem suum Saturninus et Glaucia *fraude G. Marii* consulis occiderunt." Val. Max. [6]): „populus .... interemit." — Unde nihil statuere licet nisi Plutarchum fere eadem referre ac Livium et Orosium [7]).

Lege perlata de iure iurando senatus, qualem Marius se praebuerit non convenit inter Plutarchum et Appianum.

Plut.	App. I. 30.
μετὰ δ' ἡμέρας ὀλίγας τοῦ Σατορνίνου πρὸς τὸ βῆμα τοὺς συγκλητικοὺς ἀνακαλουμένου, καὶ τὸν ὅρκον	εἶτα τῆς πέμπτης ἡμέρας, ἣ τῷ ὅρκῳ τελευταία κατὰ τὸν νόμον ἦν, ἀμφὶ δεκάτην ὥραν αὐτοὺς

[1]) B. C. I. 28.
[2]) Mar. 29.
[3]) Epit. 69.
[4]) III. 16.
[5]) V. 17.
[6]) IX. 6. 3.
[7]) Niebuhr, Vorles., II. 332 nescio quo auctore Nonium „A. Noricum" appellat.

ὀμνύειν ἀναγκάζοντος, ὁ Μάριος παρελθὼν, γενομένης σιωπῆς, καὶ πάντων εἰς ἐκεῖνον ἀνηρτημένων, μακρὰ χαίρειν φράσας τοῖς ἐν τῇ βουλῇ νεανιευθεῖσιν ἀπὸ φωνῆς, οὐχ οὕτω πλατὺν ἔφη φορεῖν τὸν τράχηλον ὡς προαποφαίνεσθαι καθάπαξ εἰς πρᾶγμα τηλικοῦτον, ἀλλ' ὀμεῖσθαι καὶ τῷ νόμῳ πειθαρχήσειν, εἴπερ ἐστὶ νόμος.

κατὰ σπουδὴν συναγαγὼν ἔφη τὸν δῆμον ἐσπουδακότα περὶ τὸν νόμον δεδιέναι, μηχανὴν δ' ὁρᾶν καὶ σόφισμα τοιόνδε· ὀμόσειν γάρ, ᾗ νόμος ἐστί, τῷδε πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ, καὶ νῦν μὲν οὕτω διασκεδᾶν τοὺς ἀπὸ τῶν ἀγρῶν ἐνηδρευμένους, ὕστερον δ' οὐ δυσχερῶς ἐπιδείξειν ὅτι οὐκ ἔστι νόμος ὁ πρὸς βίαν τε καὶ βροντῆς ὠνομασμένης κεκυρωμένος παρὰ τὰ πάτρια.

Magnus contra est horum consensus de Marii adversus Metellum invidia; comparandum est huius rei exordium. Plut.: „Τὸν δὲ Μέτελλον εἰδὼς βέβαιον ἄνδρα, καὶ τὴν ἀλήθειαν ἀρχὴν μεγάλης ἀρετῆς κατὰ Πίνδαρον ἡγούμενον κ. τ. λ." App.: „καὶ τὸν Μέτελλον εἰδὼς στερρόν τε τῇ γνώμῃ καὶ βέβαιον ἐφ' ὅ τι φρονήσειεν ἢ εἰπεῖν φθάσειεν κ. τ. λ." Quibus lectis negari non potest omnia ex eodem fonte hauriri potuisse. Nec quemquam nisi Livium auctorem eos habuisse putamus. Praeter ea enim quae supra attulimus, haec sunt animadvertenda: Plut.: „Τῶν δὲ βελτίστων περιπαθούντων καὶ συντρεχόντων πρὸς τὸν Μέτελλον, οὐκ εἴα στασιάζειν δι' αὐτὸν, ἀλλ' ἀπῆλθεν ἐκ τῆς πόλεως, ἔμφρονι λογισμῷ χρησάμενος." Liv. Epit. 69: „qui quum a bonis civibus defenderetur, ne causa certaminum esset, in exilium voluntarium Rhodum profectus est." Apparet ex epitome Livium in annalibus quaedam addidisse de Metello Rhodi vivente; dicit enim: „ibique legendo et audiendis magnis viris vacabat." Spectant fortasse verba Plutarchi ad ea, quae in deperditis Livii Historiis hac de re legebantur, nempe: Ἀλλὰ γὰρ ὅσης μὲν ἀπέλαυσεν

εὐνοίας παρὰ τὴν φυγὴν καὶ τιμῆς Μέτελλος, ὃν δὲ τρόπον ἐν Ῥόδῳ φιλοσοφῶν διητήθη, βέλτιον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις εἰρήσεται.

Nec quae cap. 30 leguntur, sententiam nostram irritam faciunt. Ex Sullae commentariis enim mutuasse videtur Plutarchus narratiunculam illam, a Livio et Appiano spretam, nempe quod Marius, utrarumque partium principibus domi suae receptis, summam inconstantiam et vilissimam proditionem ostenderit. De quibus Mommsen [1]: „ein Geschichtchen so sicherlich erfunden und so sicher treffend, wie nur irgend ein Einfall des Aristophanes." — Eundem arguunt auctorem Oros. V. 17 et App. I. 32. Idem Orosius [2]) fere iisdem ac Plutarchus utitur verbis, in Capitolii obsidione enarranda: „In foro proelium commissum est. Saturninus a Marianis foro pulsus in Capitolium confugit. Marius fistulas, quibus eo aqua ducebatur, incidit." Plut. „ἐξήνεγκεν εἰς ἀγορὰν τὰ ὅπλα καὶ καταδιωχθέντας αὐτοὺς εἰς τὸ Καπετώλιον εἷλε δίψει· τοὺς γὰρ ὀχετοὺς ἀπέκοψεν." — Cap. 31 de Metello in patriam restituto convenit cum Oros. V. 17, Liv. Epit. 69, App. I. 33, Val. Max. IV. 1. 13; V. 2. 7, Vell. II. 15. Comparandi sunt Plutarchus: „Δόγματος δ' εἰσφερομένου .... πολλὰ καὶ διὰ λόγων καὶ δι' ἔργων μάτην ἐναντιωθεὶς, τέλος ἀπεῖπε." et Orosius: „rogationem de reditu .... promulgarunt: quae ne perferretur Marii consulis et Furii, trib. pleb., factionibus intercessum est." — Quae sequuntur usque ad cap. 35 singulis fere verbis Sullae ingenium produnt, nec qui exempla adferre vult habet quae

---

[1]) R. G. II. p. 204.
[2]) Cf. Flor. III. 16.

omittat. Verum omnium maxime studium nocendi ex iis apparet, quae de rebus Marii bello sociali gestis dicuntur. Videtur enim Sulla in commentaris silentio omnia praeteriisse, quae testibus Livio [1]) et Appiano [2]) ab eo gesta sunt. Audiatur enim Plut. Sulla 6: „Ἐν τούτῳ, μεγίστῳ καὶ ποικιλωτάτῳ γενομένῳ καὶ πλεῖστα κακὰ καὶ βαρυτάτους παρασχόντι κινδύνους Ῥωμαίοις, Μάριος μὲν οὐδὲν ἀποδεῖξαι μέγα δυνηθεὶς ἤλεγχε τὴν πολεμικὴν. ἀρετὴν ἀκμῆς καὶ ῥώμης δεομένην. Σύλλας δὲ πολλὰ δράσας ἄξια λόγου δόξαν ἔσχεν ἡγεμόνος μεγάλου κ. τ. λ." Conferatur Mar. 30: „Οὗτος δὲ πόλεμος, τοῖς πάθεσι ποικίλος γενόμενος, καὶ ταῖς τύχαις πολυτροπώτατος, ὅσον Σύλλᾳ προσέθηκε δόξης καὶ δυνάμεως, τοσοῦτον ἀφεῖλε Μαρίου· βραδὺς γὰρ ἐφάνη ταῖς ἐπιβολαῖς, ὄκνου τε περὶ πάντα καὶ μελλήσεως ὑπόπλεως κ. τ. λ."

Quibus conviciis Marium insectatus, praeclarae victoriae subito mentionem facit Plutarchus. Consentit quidem de numero caesorum cum Orosio et Appiano [3]), unde conicere licet Plutarchum ex Livii libris haec inseruisse, Sullae commentariis destitutum. Caepione enim a Pompeio caeso, Mario imperium traditum est; qui *solus* Marsos adgressus, insignem victoriam reportavit [4]). Nec Sullam in libro de vita *sua* scripto sine causa res a Mario egregie gestas tractasse veri simile est.

Cum App. c. 56 conveniunt ea, quae Plutarchus Mar. 35 de Sullae fuga in Marii domum prodidit. Uterque enim narrat Sullam deliberatum de Sulpicii postulatis

---

[1]) Epit. 73. Oros. V. 18. Eutrop. V. 3.
[2]) B. C. I. 40 sqq. Cf. Kiene l. c. p. 240 sqq.
[3]) c. 44.
[4]) Cf. Kiene l. c. p. 198.

abiisse, nec ut a Marianis divulgabatur, ad castra Nolam profugisse. Sequuntur quaedam, ex quibus licet fortasse statuere, etsi leve sit argumentum, utrumque ex Latino fonte hausisse. Non enim eadem voce e Latino in Graecum convertunt verbum *iustitium;* apud Plutarchum ἀπραξία legitur, apud Appianum vere ἀργία. Ceterum comparetur c. 35 cum App. I. 62, Vell. II. 19. Idem discrepat a Val. Max. IX. 7. 1, Oros. V. 19 de numero tribunorum a Mario ad Sullam missorum. Sulpicium vehementer reprehendit Plut. Mar. 35, Sulla 8; quocum in unum congruunt App. I. 55, Liv. Epit. 77. De Velleio II. 18 supra dictum est.

Itaque Plutarchus c. 28—36 Sullam et Livium est secutus. Livius quoque tamen Sullam auctorem habuerit necesse est. Testantur quae Epit. 69 Sullam indicant, quaeque copiosius apud Orosium et Florum leguntur. Petero igitur adsentiendum est dicenti: „Sulla wird also wohl auch hier die Quelle sein."

Cap. 36—41 Plutarchus ideo minus uti potuit Sullae commentariis, quod inde a bello sociali diversa Sullae Marioque erat vitae via. Livium solum ducem sibi elegit. Egregie igitur Peter: „Zunächst scheint er sich c. 35—40 (Flucht des Marius) an Livius angeschlossen zu haben, dessen gerade bei einem solchen Stoffe glänzende Darstellungsweise wir hier bei Plutarchus wiederzuerkennen glauben, und auf den auch die genaue Uebereinstimmung mit Valerius Maximus hinweist. Vergl. Plut. c. 38 mit Val. Max. VIII. 8. 2 (2. 3?) und I. 5. 5; Plut. c. 39 mit Val. Max. II. 10. 6." Quaedam liceat addere, quibus haec sententia probetur. Animadvertendum est notabilem

illam Marii fugam Plutarchum tam diligenter enarrasse, ut a nullo scriptore superetur. Comparandi sunt Mar. 36. 37. 39 et App. c. 61. 62, qui tamen diverso ordine rem referunt.

App. 61.	Mar. 36.
..... ἐνέπιπτέ τι δαιμόνιον δέος καὶ μνήμη τῆς ἐκ παιδὸς ἐπιφημισθείσης τῷ ἀνδρὶ ἑβδόμης ὑπατείας· παιδὶ γὰρ ὄντι φασὶν ἐς τὸν κόλπον ἀετοῦ νεοττοὺς ἑπτὰ καταρρυῆναι, καὶ τοὺς μάντεις εἰπεῖν ὅτι ἑπτάκις ἐπὶ τῆς μεγίστης ἀρχῆς ἔσοιτο.	Νέος γὰρ ὢν ἔτι παντελῶς, καὶ διατρίβων κατ' ἀγρὸν, ὑποδέξεσθαι τῷ ἱματίῳ καταφερομένην ἀετοῦ νεοττιὰν, ἑπτὰ νεοττοὺς ἔχουσαν· ἰδόντας δὲ τοὺς γονεῖς καὶ θαυμάσαντας διαπυνθάνεσθαι τῶν μάντεων· τοὺς δ' εἰπεῖν, ὡς ἐπιφανέστατος ἀνθρώπων ἔσοιτο, καὶ τὴν μεγίστην ἡγεμονίαν καὶ ἀρχὴν ἑπτάκις αὐτὸν λαβεῖν ἀναγκαῖον εἴη.
ib. 62.	**ib. 37.**
ὁ δὲ συγγιγνώσκων ἑαυτῷ .... διωκομένῳ, ὁδοὺς ἀτριβεῖς ἐπὶ θάλασσαν ἥλατο, καὶ καλύβης ἐπιτυχὼν ἀνεπαύετο κ. τ. λ.	καὶ διεξελθὼν ἕλη βαθέα καὶ τάφρους ὕδατος καὶ πηλοῦ γεμούσας, ἐπιτυγχάνει καλύβῃ λιμνουργοῦ γέροντος κ. τ. λ.
ib.	**ib. 39.**
καὶ αὐτὸν οἱ τῆς πόλεως ἄρχοντες, ἀναπαυόμενον ἐν οἴκῳ ζοφώδει, δεδιότες μὲν τὸ κήρυγμα τοῦ δήμου, φυλαττόμενοι δὲ ἀνδρὸς ἑξάκις ὑπατεύσαντος καὶ πολλὰ καὶ λαμπρὰ εἰργασμένου αὐθένται γενέσθαι, Γαλάτην ἄνδρα ἐπιδημοῦντα μετὰ ξίφους ἐσέπεμψαν	Τοῦ δ' οἰκήματος, ἐν ᾧ ἔτυχε μέρει κατακείμενος, οὐ πάνυ λαμπρὸν φῶς ἔχοντος, ἀλλ' ὄντος ἐπισκίου, λέγεται τὰ μὲν ὄμματα τοῦ Μαρίου φλόγα πολλὴν ἐκβάλλοντα τῷ στρατιώτῃ φανῆναι, φωνὴν δὲ μεγάλην ἐκ τοῦ ἐπισκίου γενέσθαι· „Σὺ δὴ τολμᾷς, ἄνθρωπε, Γάϊον

ἀνελεῖν. τὸν δὲ Γαλάτην φασὶν ἐν τῷ σκότῳ προσιόντα τῷ στιβαδίῳ δεῖσαι, δόξαντα τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ Μαρίου πυρὸς αὐγὴν καὶ φλόγα ἀφιέναι. ὡς δὲ καὶ ὁ Μάριος αὐτὸς ἐπανιστάμενος ἐκ τῆς εὐνῆς ἀνεβόησε παμμέγεθες αὐτῷ· „σὺ τολμᾷς κτεῖναι Γαΐον Μάριον;" προτροπάδην ὁ Γαλάτης ἔφευγεν ἔξω διὰ θυρῶν, μεμηνότι ἐοικὼς καὶ βοῶν „ου δύναμαι κτεῖναι Γαΐον Μάριον."

Μάριον ἀναιρεῖν;" Ἐξῆλθεν οὖν εὐθὺς ὁ βάρβαρος φυγῇ, καὶ τὸ ξίφος ἐν μέσῳ καταβαλών, ἐχώρει διὰ θυρῶν, τοῦτο μόνον βοῶν· „Οὐ δύναμαι Γαΐον Μάριον ἀποκτεῖναι."

Quibus locis inter se comparatis ne putet quis Appianum et Plutarchum semper ex eodem fonte hausisse. Errant enim qui, ceteris neglectis, ex locis allatis summum inter utrumque scriptorem consensum efficere velint. Quorum est Klebsius, in libro cui titulus „De scriptoribus aetatis Sullanae" prorsus omnia ad Livium referens. Notandum est Plut. Mar. 36 et App. 61 multa inveniri inter se discrepantia. Mar. 37 et App. 62 praeter exordium narrationis nihil commune habent; cetera adeo sibi obloquuntur ut eidem auctori nequeant tribui. Plut. Mar. 39, App. 62 narratiunculam quidem, de servo Marium interfecturo, fere eandem rettulerunt; de iis vero quae sequuntur plane diversae eorum sunt sententiae. Nec miramur inter eos, talem fabellam enarrantes, in summis convenire, quippe quae lippis et tonsoribus nota iisdem fere, ut fit, verbis efficta est. Accedit quod alter apud alterum extat rerum ordo [1]).

[1]) Cf. Wijnne l. c. p. 23 sqq.

Praeter locos a Petero allatos alii sunt adhibendi, quibus quo modo conveniant inter se Plutarchus et Livius patet. Qua de re conferantur Livius Epit. 77, Velleius II. 19, Orosius V. 19, Aurelius Victor 67. Quibus comparatis haud dubium est, quin Plutarchus ex Livii Historiis sua sumpserit, quo in superioribus rebus fere semper principe auctore usus est. Contendit quidem Heeren [1]) Posidonium ducem fuisse, quae tamen opinio nulla certa re probari potest. Smit l. c. p. 130 ideo putat Livium non nisi summatim Marii exilium attigisse, quod Orosius et Florus, alias Livium diligentissime secuti, brevi de Marii fuga mentionem fecerint. Quod tamen falso dictum est, nempe diligentissime eos Livium esse secutos. Accurate perlegentes in iis potius offendamus necesse est, quod saepe tanquam ex patella bene repleta, singula sibi elegerint, universum vero non multum curarint. Praeterea Livium, copiose res enarrare solitum, strictim Marii fata tetigisse veri simile non est.

De cap. 41—45 Peter ita agit: „Wieder einen anderen Autor hatte Plutarch in dem letzten Abschnitte vor Augen, den Posidonius, wahrscheinlich weil ihm Livius zu weitläufig geworden war, denn am Ende der Vita machte sich Plutarch seine Arbeit gern möglichst leicht." Heeren contra [2]) pro certo contendit Plutarchum in iis, quae de belli socialis eventis et de bello civili enarrat, etsi Posidonium non neglexisset, tamen etiam Sulla auctore usum esse. Revera adeo Marium

---

[1]) l. c. p. 148.
[2]) l. c. p. 149.

contumeliis insequitur Plutarchus in hac parte vitae, ut vix dubitari possit quin magna ex parte Sullae commentariis debeatur. Quod manifeste apparet ex cap. 43: .... Μάριος δὲ παρὰ ταῖς πύλαις ὑποστὰς εἰρωνεύετο πρὸς ὀργὴν, φυγὰς εἶναι λέγων καὶ τῆς πατρίδος εἴργεσθαι κατὰ τὸν νόμον.... Ἐκάλει δὴ τὸ πλῆθος εἰς ἀγορὰν, καὶ πρὸ τοῦ τρεῖς ἢ τέσσαρας φυλὰς ἐνεγκεῖν τὴν ψῆφον, ἀφεὶς τὸ πλάσμα καὶ τὴν φυγαδικὴν ἐκείνην δικαιολογίαν, κατῄει δορυφόρους ἔχων λογάδας κ. τ. λ. Ex eodem fonte haec hausta esse videntur ac quae apud Appianum leguntur, ita vero ut hic multo leniorem prodiderit sententiam. Conferatur enim c. 71.... σὺν εἰρωνείᾳ σφόδρα ὁ Μάριος ἐπιμειδιῶν εἶπεν οὐκ εἶναι φυγάσιν ἐσόδους. Καὶ εὐθὺς οἱ δήμαρχοι τὴν φυγὴν αὐτῷ τε καὶ ὅσοι ἄλλοι κατὰ Σύλλαν ὕπατον ἐξελήλαντο, ἐψηφίσαντο λέλυσθαι. Quocum consentit Velleius II. 21, narrans ante Marium in urbem ingressum Cinnam de huius reditu legem tulisse. Dio Cassius I. p. 141: ὅτι ἐπειδὴ ὁ Κίννας τὸν νόμον τὸν περὶ τὴν καθόδον τῶν φυγάδων ἀνενεώσατο, ὁ Μάριος οἵ τε ἄλλοι οἱ τὸν αὐτῷ ἐκπεσόντες ἐσεπήδησαν κ. τ. λ. In universum Plutarchus Cinnam longe anteponit Mario. In hunc enim omnia nefaria conferuntur, e. g. c. 44 Antonii crudelissima caedes, quem a Cinna interfectum esse testatur Cicero Tuscul. V. 19. 55. Secundum Velleium II. 22 M. Antonius iussu Marii Cinnaeque confossus est. — Cap. 43 Cinna exsaturatus esse dicitur caedibus, — ἀμβλὺς ἦν καὶ μεστὸς ἤδη τοῦ φονεύειν — Marius vero etiamtunc sitire sanguinem. Et tamen Cicero Cinnam „omnium crudelissimum hominem" nominat [1]).

[1]) De nat. deor. III. 32. 81. Cf. Philipp. XI. 1. 1: „L. Cinna crudelis, G. Marius in iracundia perseverans, L. Sulla vehemens." Cf. Smit l. c. p. 139 sqq.

Quid vero in singulis rebus haeremus, universa rerum expositione infensum in Marium redolente animum. Videamus igitur qui sit inter varios scriptores consensus et quidem primum inter Plutarchum et Appianum. De quibus Peter: „Appian, der die früheren Thaten des Marius ganz anders als Plutarch berichtet hatte (?), stimmt hier so genau auch in Schilderungen mit ihm überein, dass sie nothwendig aus demselben Autor geschöpft haben müssen." Verissime haec dicta sunt de cap. 43—46; de cap. 41 et 42 vero non constat. Cf. c. 42: Ἐπεὶ δὲ Μέτελλος, υἱὸς ὢν Μετέλλου τοῦ στρατηγήσαντος ἐν Λιβύῃ κ. τ. λ. cum App. c. 68; c. 42 de morte Octavii cum App. c. 71. Quibus locis plane diversus rerum ordo est apud utrumque scriptorem, nec quae narrantur satis conveniunt. Sunt e contrario alia, quae ex eodem fonte manasse probabile est, ut Plut. Mar. c. 42: Ὀκτάβιον, δὲ Χαλδαῖοι καὶ θῦταί τινες καὶ σιβυλλισταὶ πείσαντες ἐν Ῥώμῃ κατέσχον ὡς εὖ γενησομένων. App. c. 71: Ὀκταβίῳ δὲ Κίννας μὲν καὶ Μάριος ὅρκους ἐπεπόμφεσαν καὶ θῦται καὶ μάντεις οὐδὲν πείσεσθαι προὔλεγον. — Plut. Mar. 41: Δεξαμένου δὲ τοῦ Κίννα .... ῥάβδους δὲ καὶ τἄλλα παράσημα τῆς ἀρχῆς ἀποστείλαντος .... App. 67: μάχας τε καὶ τρόπαια αὐτοῦ Κιμβρικὰ καὶ ἓξ ὑπατείας ὑπερεπαίρων κ. τ. λ. Mar. ib: βάδην προῄει, βουλόμενος μὲν ἐλεεινὸς εἶναι. App. ib: ῥυπῶν δ'ἔτι καὶ κόμης ἔμπλεως ἐπῄει τὰς πόλεις, οἰκτρὸς ὀφθῆναι.

Itaque difficile est diiudicatu, utrum res cap. 41 et 42 enarratas ex eodem fonte Plutarchus repetierit ac Appianus necne; utraque enim sententia defendi potest.

Cap. 43 et 44 vero Plutarchus eundem auctorem ac Appianus cap. 70. 72. 73. 74 adhibuerit necesse est.

Cuius rei exempla adferre non opus est; tantus enim est inter utrumque consensus, ut neminem, locos comparantem, fugiat. — Quae ex Livii libris his de rebus ad nos pervenerint, accurate inquirendum est. Adhibendi sunt Epitomarum scriptor, Velleius, Florus, Orosius, Licinianus.

Epit. 79.

L. Corn. Cinna, quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus urbe a Gn. Octavio collega cum sex tribunis plebis: imperioque ei abrogato, corruptum App. Claudii exercitum in potestatem suam redegit et bellum urbi intulit, arcessito G. Mario ex Africa cum aliis exulibus sqq.

Vell. c. 20.

(Cinna ex urbe) pulsus collegae optimatiumque viribus cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus consulatus ei abrogatus est suffectusque in eius locum L. Corn. Merula flamen dialis. Tum Cinna corruptis primo centurioni-

Cap. 41.

Οἱ δ' ὕπατοι στασιάσαντες ἐχώρουν εἰς ὅπλα καὶ μάχης γενομένης, Ὀκτάβιος μὲν κρατήσας ἐξέβαλε Κίνναν ἐπιχειροῦντα τυραννικώτερον ἄρχειν, καὶ κατέστησεν ἀντ' αὐτοῦ Κορνήλιον Μερουλᾶν ὕπατον. Ὁ δὲ Κίννας ἐκ τῆς ἄλλης Ἰταλίας συναγαγὼν δύναμιν, ἐπολέμει πρὸς αὐτούς. Ταῦτα τῷ Μαρίῳ πυνθανομένῳ, πλεῦσαι τὴν ταχίστην ἐφαίνετο καὶ παραλαβὼν ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρουσίων τινὰς ἱππότας, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συναμφοτέρους οὐ πλείονας χιλίων γενομένους, ἀνήχθη. Προσβαλὼν δὲ Τελαμῶνι τῆς Τυρρηνίας καὶ ἀποβὰς, ἐκήρυττε δούλοις ἐλευθερίαν. Καὶ τῶν αὐτόθι γεωργούντων καὶ νεμόντων ἐλευθέρων κατὰ δόξαν αὐτοῦ συντρεχόντων ἐπὶ τὴν θάλασσαν, ἀναπείθων τοὺς

bus ac tribunis, mox etiam spe largitionis militibus, ab eo exercitu qui circa Nolam erat receptus est. — Opus erat partibus auctoritate, gratia, cuius augendae G. Marium cum filio de exilio revocavit quique cum iis pulsi erant.

ἀκμαιοτάτους, ἐν ἡμέραις ὀλίγαις χεῖρα μεγάλην ἤθροισε καὶ τεσσαράκοντα ναῦς ἐπλήρωσεν.

Licin. p. 36. Is ergo mille circiter Numidis collectis ad Cinnam navi pervenit Telamonem. Flor. III. 21. Itaque ad nomen tanti viri late concurritur: servitia, pro nefas! et ergastula armantur et facile invenit exercitum miser imperator.

Licin. l. c. ....et cum deformis habitu et cultu iis videretur, qui cum florentem victoriis norant, supplicemque se omnibus quasi oppressus ab inimicis commendaret, legionem voluntariam conscripsit.....

. . . . ἐσθῆτι φαύλῃ κεχρήμενος, καὶ κομῶν ἀφ' ἧς ἔφυγεν ἡμέρας, ὑπὲρ ἑβδομήκοντα γεγονὼς ἔτη, βάδην προῄει, βουλόμενος μὲν ἐλεεινὸς εἶναι, τῷ δ' οἴκτῳ συμμέμικτο τὸ οἰκεῖον τῆς ὄψεως αὐτοῦ πλέον τὸ φοβερόν· καὶ διέφαινεν ἡ κατήφεια τὸν θυμὸν οὐ τεταπεινωμένον, ἀλλ' ἐξηγριωμένον ὑπὸ τῆς μεταβολῆς.

Flor. ib. Redit ab Africa Marius clade maior, siquidem carcer, catenae, fuga, exilium horrificaverant dignitatem.

Epit. 79. Ostiam coloniam Marius expugnavit et crudeliter diripuit. Licin. l. c. Ostia urbe potitur per L. Valerium, cuius equites praesidebant. Flor. l. c. Ostia nefanda strage diripitur.

Cap. 42. τέλος δὲ τὴν Ὠστίαν αὐτὴν λαβὼν ἐκ προδοσίας, τά τε χρήματα διήρπασε, καὶ τῶν ἀνθρώπων τοὺς πολλοὺς ἀπέκτεινε. Cf. App. c. 67; qui tamen proditionis nullam facit mentionem.

Licin. p. 37. Marius cum suis Ianiculo potitur . . . . [quae sequuntur nimis sunt obscura et incerta].

Epit. 80: Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Ianiculum occupaverant . . . . Quum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant aut ad diversas partes transibant, Cinna et Marius in urbem recepti sunt sqq.

Ἄρας δὲ τῷ στρατῷ πρὸς τὴν πόλιν ἐχώρει καὶ τὸ καλούμενον Ἰανοῦκλον ὄρος κατέσχεν· οὐ τοσοῦτον ἀπειρίᾳ τοῦ Ὀκταβίου τὰ πράγματα βλάπτοντος, ὅσον ἀκριβείᾳ τῶν δικαίων προϊεμένου τὰ χρειώδη, παρὰ τὸ συμφέρον . . . καταλιπόντες οἱ στρατιῶται τὸν Ὀκτάβιον, ἧκον ὡς ἐκεῖνον (Μέτελλον), ἄρχειν δεόμενοι καὶ σώζειν τὴν πόλιν [1]).

Animadvertendum est nec de monte Ianiculo capto nec de morte Octavii Plutarchum consentire cum App. I. 67. 71 et Livio Epit. 80, Floro l. l., Vell. II. 22, Licin.

---

[1]) Cf. Kiene l.l. p. 298 ann. 3.

p. 39. Hi enim Octavium occisum fuisse testantur, quum iam in urbem introissent Cinna et Marius.

In universum haud discrepant inter se de Marii caedibus varii scriptores. Alias tamen alius prodit memorabiles res. Plutarchus e magno caesorum numero unum tantum nominat, nempe Ancharium. De quo optime convenit inter eum et Florum l. l. Plutarchus enim: Καὶ τέλος Ἀγχάριον, ἄνδρα βουλευτὴν καὶ στρατηγικὸν, ἐντυγχάνοντα τῷ Μαρίῳ καὶ μὴ προσαγορευθέντα, καταβάλλουσιν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, ταῖς μαχαίραις τύπτοντες. Florus: „Ancharius, ipso vidente Mario, confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti."

Quae de Cornuto a servis suis abdito et servato apud Plutarchum leguntur, ab Appiano quoque memorantur c. 73. Plut. Mar. 44 de M. Antonii et Catuli Lutatii caedibus satis rhetorice dictum est. Probabile esse videtur eandem relationem Valerio Maximo et Plutarcho de morte Antonii ob oculos fuisse.

Val. Max. VIII. 8. 2.	Mar. 44.
Missi (enim) a saevissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone eius obstupefacti, destrictos iam et vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Quibus digressis P. Antonius — is enim solus in ambitu expers Antonianae eloquentiae steterat —	Τοιαύτη δέ τις ἦν, ὡς ἔοικε, τοῦ ἀνδρὸς ἡ τῶν λόγων σειρὴν καὶ χάρις, ὥστ' ἀρξαμένου λέγειν καὶ παραιτεῖσθαι τὸν θάνατον, ἅψασθαι μὲν οὐδεὶς ἐτόλμησεν οὐδ' ἀντιβλέψαι, κάτω δὲ κύψαντες ἐδάκρυον ἅπαντες. Διατριβῆς δὲ γενομένης ἀναβὰς ὁ Ἄννιος ὁρᾷ τὸν μὲν Ἀντώνιον διαλεγόμενον, τοὺς δὲ στρατιώτας ἐκπεπληγμένους

crudele imperium truculento ministerio peregit.

Cf. Vell. II. 22: M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, iussu Marii Cinnaeque confossus est.

(Desiderantur apud Plutarchum quae memorant Cicero [1]), Valerius [2]), Florus [3]), nempe M. Antonii caput abscissum in ipsius Marii mensis expositum esse. Cf. App. c. 73).

Val. Max. IX. 12. 4.

Maioris aliquanto spiritus dux Q. Catulus, Cimbrici triumphi G. Mario particeps a senatu datus, sed exitus violentioris. Namque ab hoc eodem Mario postea propter civiles dissensiones mori iussus, recenti calce inlito multoque igni praecalefacto cubiculo se inclusum peremit.

καὶ κατακεκλημένους ὑπ᾽αὐτοῦ. Κακίσα: οὖν ἐκείνους καὶ προσδραμὼν αὐτὸς ἀποτέμνει τὴν κεφαλήν.

Plutarchus de Lutatii Catuli morte:

Κάτλος δὲ Λουτάτιος, Μαρίῳ συνάρξας, καὶ συνθριαμβεύσας ἀπὸ Κίμβρων, ἐπεὶ πρὸς τοὺς δεομένους ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ παραιτουμένους ὁ Μάριος τοσοῦτον μόνον εἶπεν· „Ἀποθανεῖν δεῖ,” κατακλεισάμενος εἰς οἴκημα καὶ πόλλους ἄνθρακας ἐκζωπυρήσας, ἀπεπνίγη. Cf. App. c. 74.

1) De orat. III. 3. 10.

2) IX. 2. 2.

3) 11.

Vell. l. l.

Q. Catulus et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce harenaque perpolito inlatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit.

In memoriam revocantibus quae de cap. 41—45 prodita sunt, haec sunt statuenda. Quamvis alter copiose enarret aut brevi attingat res, ab altero omissas, tamen negari non potest tantum esse consensum inter Plutar- et Livium, ut aut ille hunc secutus sit aut uterque iisdem auctoribus sit usus. Qui auctores quam inimico in Marium fuerint animo, ex locis allatis satis apparet.

Mira brevitate hanc Marii vitae partem tractat Plutarchus nec ordinem rerum magnopere curat. Accedit quod a proposito saepius aberrat, unde fit ut in dubium vocari possit an certum hoc loco auctorem habuerit. Sullam fortasse est secutus qui, quamvis ipse Marii et Cinnae caedibus non interfuerit, tamen Marium lacerandi potestatem praetermisisse haud putandus est. Animadvertenda sunt ea, quae ex Sallustii

Historiis Plutarchus in vita Sertorii adhibuerit [1]. Mar. 41 legitur Marium Cinnae tanquam duci ultro se obtulisse, „δεξαμένου δὲ τοῦ Κίννα.“ Sertorius c. 5. contra: „τοῖς μὲν ἄλλοις ἐδόκει δέχεσθαι, Σερτώριος δὲ ἀπηγόρευσεν. κ. τ. λ.“ Conferantur porro quae in utriusque vita Plutarchus de Bardiaeis dixit.

Sert. 5.	Mar. 44.
Τέλος δὲ τῶν δούλων, οὓς Μάριος .... ἰσχυροὺς καὶ πλουσίους ἐποίησε, τὰ μὲν ἐκείνου διδόντος καὶ κελεύοντος, τὰ δὲ καὶ βίᾳ παρανομούντων εἰς τοὺς δεσπότας, σφαττόντων μὲν αὐτοὺς, ταῖς δὲ δεσποίναις πλησιαζόντων καὶ βιαζομένων τοὺς παῖδας, οὐκ ἀνασχετὰ ποιούμενος ὁ Σερτώριος ἅπαντας ἐν ταὐτῷ στρατοπεδεύοντας κατηκόντισεν οὐκ ἐλάττους τετρακισχιλίων ὄντας.	Ἠνία δὲ μάλιστα τὸν δῆμον ἡ τῶν καλουμένων Βαρδιαίων ἀσέλγεια. Τοὺς γὰρ δεσπότας ἐν ταῖς οἰκίαις σφάττοντες, ᾔσχυνον μὲν αὐτῶν παῖδας, ἐμίγνυντο δὲ βίᾳ δεσποίναις· ἀκατάσχετοι δ' ἦσαν ἁρπάζοντες καὶ μιαιφονοῦντες, ἕως οἱ περὶ Κίνναν καὶ Σερτώριον συμφρονήσαντες ἐπέθεντο κοιμωμένοις αὐτοῖς ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ κατηκόντισαν ἅπαντας. [2]

Hac vero similitudine nihil certi statui potest. Appianus et Plutarchus quibus de rebus aut dissideant aut congruant, iam satis ostendebatur.

Cap. 45 et 46. Multa sunt unde efficiatur haec capita

---

[1]) Cf. de Sallustio in vita Sertorii Plutarchi auctore Peter l.l. p. 61 sqq. Heeren l.l. p. 154 sqq.

[2]) Non consentit de hac re cum Plutarcho Orosius l.l.: „fugitivorum manus ..... in forum quasi stipendii causa sollicitata, inermis extincta est.“ Tanto vero tumore tantaque obscuritate hanc rem peregit Orosius, ut vix in rationem induci possint eius verba.

nulli certo auctori debuisse Plutarchum. Tanta enim negligentia septimi consulatus historiam scripsit, ut fere omnia temporibus repugnent [1]). Diversae deinde eius sunt sententiae et ceterorum scriptorum, quum de iis quae Marii mortem proxime antecedunt, tum de ipsa morte nec accurate legentem latet quanto odio Marium rursus sit persecutus. Haud enim dubium quin altera de huius morte fama a Sulla oriatur; infestum adversarii prae se fert animum. Quod vero contendit Plutarchus Marium curis perpetuo sollicitatum, reditum Sullae immodice timuisse — quo de reditu varii rumores Romam pervenerant — nequaquam hoc comprobari potest. Quo enim tempore Marius septimum inibat consulatum, Mithridatem nondum intra Pontum coercebat Sulla, sed adhuc cum Archelao in Boeotia bellum gerebat. Nulla igitur Mario causa erat timoris, nec si revera Sullae reditus certior factus esset, Marium timore occupatum fuisse probabile est, quippe qui per totam vitam ab omni metu fuerit alienus.

Quae cap. 46 de tempore dicuntur quo mortuus sit Marius, nempe die decimo septimo septimi consulatus, non conveniunt cum Livii et Flori verbis, qui eum decessisse Id. Ian. contendunt; melius autem cum Velleio et Orosio, qui *initio* consulatus, et cum Appiano qui primo magistratus mense eum obiisse putat. Minoris tamen momenti est certum diem novisse, siquidem initio anni 86 eum mortuum esse constat [2]).

---

[1]) Cf. Kiene l.l. p. 301 sqq. Smit l.l. p. 143 sqq.

[2]) Marius sub finem anni 87 Romam revertit. Octavius consul enim *paucis* diebus ante Kal. Ian. 86 occisus est; si enim magnum spatium fuisset inter

Restat ut, quae de Marii aetatis scriptoribus copiose dicta sunt, brevi repetantur. Vita a Plutarcho composita, ex Livii libris quasi ex principe fonte deducta est, adhibitis Sullae commentariis. Quod potissimum apparet ex cap. 7—36. Cap. 3—7, 36—41 Livium solum secutus est Plutarchus, ut fortasse etiam cap. 41—45. Cap. 1, 2, 45, 47 certum non habuit auctorem.

De Posidonio Plutarchi, res Marii scribentis, auctore nihil certi proferri potest. Veri simile tamen est rerum Teutonicarum narrationem ex huius Historiis profluxisse.

Plutarchus quomodo cum Livio consentiat de Marii aetate, probant epitomae et varii, qui ex Livii libris excerpserunt scriptores. Quorum in numero certe habendi sunt Valerius Maximus, Orosius, Florus, Frontinus; Velleius vero, Auctor de viris illustribus [1]), Granius Licinianus num Livio sint usi, etsi veri simile est, tamen pro certo diiudicari non potest. De Diodoro Siculo et Dione Cassio, in fragmentorum paucitate, non constat.

Appianus Saturnini seditionem describens, ita cum Livio consentit, ut ex eo hausisse videatur, quod etiam magna ex parte valet de Sulpiciis legibus, de bellis sociali et Mariano. De Liviis vero legibus adhuc sub iudice lis est.

---

illius mortem et novum initum annum, consul suffectus creandus fuisset, nec profecto Marius consulatus obtinendi facultatem neglexisset. Cf. Smit l.l. p. 149 sqq.

[1]) Hildesheimer: De libro qui inscrib. De Viris Ill. H. R. quaest. histor. Berol. 1880, p. 18 sqq. minime eum Livio pro praecipuo fonte usum esse putat. multa autem ad verbum cum Livio adeo convenire, ut similitudo negari nequeat.

THESES.

I.

Hom. Il. XXII 322 pro

τοῦ δὲ καὶ ἄλλο τόσον μὲν ἔχεν χρόα χάλκεα τεύχη

lege: τοῦ δὲ κατ' ἄλλο τόσον μὲν ἔχεν κ. τ. λ.

II.

Hom. Od. II 203 ita legendum est:

χρήματα δ' αὖτε κακῶς βεβρώσεται οὐδ' ἀποτῖσαι.

Cf. Rhein. Mus. 1881. p. 131.

III.

Eurip. Bacch. 563 Dind.

ἔνθα ποτ' Ὀρφεὺς κιθαρίζων

ξύναγεν δένδρεα Μούσαις, ξύναγεν θῆρας ἀγρώτας.

pro δένδρεα Μούσαις lege δένδρε' ἄμουσα.

IV.

Plut. Sulla c. 35:

Μεσσάλα γὰρ ἦν θυγάτηρ, Ὁρτησίου δὲ τοῦ ῥήτορος ἀδελφή, Οὐαλερία δὲ τοὔνομα·

Pro ἀδελφή legatur ἀδελφιδῆ.

V.

App. B. C. II 29:

οὐ πείθων δὲ, διέλυε τὴν βουλὴν ἐπ' ἀτελέσι πᾶσι.

Legatur: ἐπ' ἀτελέσι πράγμασι.

VI.

In antiquo theatro Graeco scenici actores vulgo orchestram transgressi, in scenam adscendebant.

VII.

Posidonium Plutarcho vitam Marii describenti fontem principem exstitisse, probari non potest.

VIII.

Plaut. Capt. 933 sqq.

Philop. Immo potes,
Pater, et poteris et ego potero et di potestatum dabunt,
Ut beneficium bene merenti nostro merito muneres,
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxime.
He. Quid opus verbis? lingua nullast qua negem quid-
(quid roges.
Philocr. Postulo aps te ut sqq.

Ita legendum esse videtur ut verba:

Immo potes.
Postulo aps te ut sqq.

a Philocrate dicantur, cetera vero eiicienda sint.

IX.

Plaut. Most. 829 legatur:

Simo. Latius domum operaest pretium vidisse.

X.

Ib. 990:

Simo: Unum vidi mortuom efferri foras.

Pro *Unum* lege *novum*.

XI.

Plaut. Men. 117 pro

Quid petam, quid feram, *quid foris egerim*,

lege: quid foras egeram.

XII.

Festus p. 143: M. Cato Originum libro septimo: qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos *allutociniatos*, ceteri perones.

Menda ita corrigenda esse videtur: calceos mulleos *aluta miniata*, ceteri perones.

XIII.

Cic. pro Sulla c. 18 § 52:

Sed quoniam Cornelius ipse etiamnunc de indicio dubitat, ut dicitis, informat adhuc adumbratum indicium *filii*, quid tandem sqq.

Pro *filii* scribatur *filius*.

XIV.

G. Marius equestri loco natus est.

XV.

Iniuria G. Marius effrenatae ambitionis accusatur.

XVI.

Quae de Appuleiis seditionibus memoriae prodita sunt, parum fide digna sunt habenda.

XVII.

Ex iis quae de M. Aem. Scauro (cs. 115) ad nos pervenerunt, certa huius viri imago componi non potest.

XVIII.

Iniuria Alexandro Magno exprobratur quod in deorum numerum relatus est.

XIX.

Errat Duncker I. 373 ann.: „Entscheidend ist, dasz die Menschenopfer des Adar und Moloch verbrannt wurden, dasz niemals eine Spur solcher Opferung bei den Hebraeern vorkommt."

XX.

Non audiendus est Curtius (Gr. Gesch. III. 228.) de Agesilao haec proferens: „Nicht das Vaterland, auch nicht die Vaterstadt war es, deren Ehre ihm zunächst am Herzen lag, sondern seine eigene Person: persönliche Eitelkeit, wie sie körperlich Missgestalteten oft in besonderer Stärke eigen ist, war die Triebfeder seiner Anschläge."


3 0112 105477118